nempe ut Sol utrinvis ab orbis sui apogæo motum suum obtineat lentiorem; Luna verò velociorem. Sed hoc ipsum nequit contingere in binis eclipsibus Lunæ. Eclipsibus autem Solaribus hoc accidit in climate quarto, & in iis locis, quæ ulterius ad septentrionem excurrunt: eâ tamen lege, ut latitudo ab ecliptica spectet in septentrionem. Ajo etiam fieri non posse, ut Sol deliquium patiatur bis eodem mense in eodem loco: neque etiam hoc unquam posse contingere in duobus locis diversis climatum borealium. qnandoque verò hoc contigerit in duobus locis ab æquatore disjunctis, uno in partem borealem, altero in austrinam. Atque ita de Solis & Lunæ eclipsi diximus, quantum sufficiat favente Deo Opt. Max. cujus nos benignitate adjuti finem scripti hujus implevimus. pro eo autem sit

DEO LAVS ET GLORIA.

IACOBI GOLII

IN

ALFERGANUM

NOTÆ.

PAG. 1. lin. 2. الفرغاني *Alfergani* seu *Alfragani*.] Ita pro consuetudine recepta effero: aliàs Ferganensis dicendum. Patria enim Autoris Fergana fuit, in Sogdianis urbs & provincia: de qua notas vide ad cap. IX. Plures fuisse Ferganenses eruditione claros, testis est in sua Geographia Abulfeda: & quosdam in Thesauro Geographico memorat Jacûtus Hamatæus, nec non Ibn Casta in Philosophorum Historia. Hic tamen noster gentili nomine, tanquam proprio, ita appellatus fuit: uti ex ipsa manuscripti codicis fronte, multisque, à quibus allegatur, autoribus liquet. Eum, ut præstantem doctrinâ & arte virum, celebrat Abulfergius in Scriptorum veterum & recentiorum catalogo: atque ob perspicuam puramq; dictionem commendat Ibn Casta. Qui eum, secus atque alii, Ahmedem vocat; uti quoque vetus Latina versio habet, Christmanno teste: sed utrunque nomen, ut unius ejusdemque est significationis; ita promiscuè tribui so-

let uni & eidem viro. atque ita Speudopropheta Muhammed etiam appellatus fuit Ahmed. Præter Isagogen hanc edidit noster librum في الرخمات, ut quæ in marmore describi solita, *de Sciatericis* sive *Horologiis:* prout ambo illi autores, & alii testantur. Alium quoque, ut Muveidînus Afer in libro de Astronomorum erratis refert, commentarium scripsit كاملا ومبرهنا في عمل الاسطرلاب *absolutum & apodicticum, de Astrolabii descriptione & usu.* Arithmeticæ quoque, & calculi Astronomici solertiâ adeò excelluit, ut vulgò الحاسب *Computator* cognominatus fuerit: quod nomen & in prima nostri codicis inscriptione occurrit. De ætate ejus haud quicquam certi compertum habeo: nisi quòd Abulfergius ille conjecturæ probabili locum facit, cùm Alferganum inter alios Mathematicos recenset, qui circa Almamonis tempora scripserunt. Imperatorem autem hunc obiisse anno Christi 833. ex Historia Saracenica, atque aliis constat. Certè Almamonis observata Autor ipse refert cap. v. & VIII. & Ibn Jonis Ægyptius in Tabulis Hakimicis (quas Hakimo, Ægypti regi, condidit & dicavit) ubi de maxima Solis declinatione differit, observationem Almamonis profert ex Alfergani Astrolabio: ac si ille inter primos fuisset, qui illam vulgâssent. At Ibn Jonis illa scripsit, uti ex pluribus ejus libri locis patet, circa annũ Christi 1000. Quare hoc saltem indubitatum fuerit, Alferganum intermedio vixisse tempore.

Lin. 5. العجم *Barbarorum* seu *Exterorum.*] Ita Arabes vocant populos omnes, quorum sermonem proprium non intelligunt; prout & Græcis ac Latinis Barbari dici solent. inprimis autem hoc nomine sibi vicinos notant: nam Arabes Africani per العجمة, *Barbaricam* seu *Peregrinam;*

nam, designant Latinam linguam vel Hispanicam; Asiatici Persicam, Syriacam, &c. Ita noster innuit hîc Arabibus vicinas gentes, aut suo tempore iis permixtas; præcipuè Syros, Græcos, Ægyptios, Persas: qui imperio & rerum cœlestium scientiâ quondam floruerant. Et licet plerisque ipsorum Alfergani tempore Arabica lingua multo commercio & usu facta esset quoque vernacula; suam tamen anni formam, suaque usurpabant mensium nomina: sicuti etiam retinent hodie. præsertim qui ad Arabum religionem, nempe Muhammedicam, à sua non defecerunt. Arabes enim soli, in civilibus æquè ac sacris, annũ observant Lunarem; reliqui illi populi Solarem: nisi quòd Judaica sacra ad Lunę quoq; cursum exigenda sint. Cùm verò duos hosce annos inter se componere & conciliare sit difficile, proprium Kalendarium gentes illæ servant. Eo & subinde Arabes utuntur, cùm colendæ terræ, navigandi maris, aliarumq; rerum tempora respiciunt, quę à Solis motu pendent. Alferganus quidẽ Chronologica elementa Astronomicis, quæ de motu sunt, prę-mittit, velut mensurarum rationes mensurandis rebus: pluriumque gentium tempora recenset, ut tum ipse, tum alii Astronomi doctrinâ suâ quamplurimis prosint.

Lin. 8. المحرم *Muharram, &c.*] Hæc nomina imposita fuere & usurpata ab iis Arabibus, qui العرب المستعربة, velut *adscititii Arabes & secundarii*, nominati sunt. tales Ismaëlitæ habiti, quiq; aliunde quàm à يعرب بن قحطان, *Iarabe filio Cachtâni* (יקטן בן יערב habent Sacræ Literæ Gen. cap. x.) originẽ ducerent. Hic est, qui ابى اليمن *Arabiæ felicis pater* cognominatus fuit: cujusq; tribus & posteri العرب العاربة *Arabes genuini* dicti sunt; & annum in XII. menses di-

 stinxêre

ſtinxêre nominibus hujuſmodi, مؤتمر ناجر خوان صوان رمثا ايدة اصم عادل ناطل واغل ورثة برك 1. *Mutemer*, 2. *Nagir*, 3. *Chavan*, 4. *Savan*, 5. *Ritma*, 6. *Ida*, 7. *Aſam*, 8. *Adil*, 9. *Natil*, 10. *Vaïl*, 11. *Varna*, 12. *Burec*. Hæc nomina ſuo ordine reſpondent Arabum menſibus nunc receptis; extantq; illa apud Meſûdem, & Nuveirium in præſtanti opere, quod inſcripſit نهاية الارب في فنون الادب & Literaturæ Arabicæ Bibliothecam appellare licet. Eorundem autem nominum uſus circa Arabici imperii auſpicia prorſus obſolevit. Nam multò etiam antè, ut Meſûdes & alii docent, Kelabus filius Morræ (Muhammedis Pſeudoprophetæ tritavum faciunt) à certis rebus, quæ in menſem quemque ejus anni, quo mutationem hanc moliebatur, fortè incidiſſent, nomina, nunc vulgata, indiderat. eorumq; poſtea uſum Muhammedes etiam religionis lege ſanxit, ut hâc quoque teſſerâ ſui aſſeclæ ab Arabibus cæteris diſcernerentur. Antequam verò menſium illa accidentia & nominum cauſas declarem; notandum menſes Arabibus antiquitùs fuiſſe quatuor حرم *vetitos* ſeu *ſacros*, quibus bellum eos inter ſeſe gerere communis quædam religio vetabat; & cæteros حلل *liberos*, ac velut *profanos*. De iis القزويني في عجايب المخلوقات *Cazvinius* in libro *De admirandis creatarum rerum*, ſive *Hiſtoria Naturali*, ita ſcribit: كانت العرب في الجاهلية في هذه الاشهر تنزع الاسنة عن رماحهم وتقعد عن شن الغارات وكان خايف فيها يامن اعدايه حتي اذا ان الرجل لقي قاتل ابيه او اخيه لم يتعرض له بشيء يوذيه، *Hiſce*, inquit, *ſacris menſibus Arabes, vigente adhuc Paganiſmo*, ſeu ad verbum *ignorantiæ tempore* (quo nomine Muham-

Muhammedani vocant tempus quod Religionem ſuam præceſſit) *ſpicula eximebant haſtis, & excurſionibus abſtinebant. Eo tempore, quicunque ab hoſte metueret, ſecurus tutusque degebat: adeò quidem, ut ſi quis patris ſui aut fratris percuſſori occurriſſet, haud quicquam illi inferre poſſet mali.* Magnũ profectò humanioris Genii in illa gente argumẽtum. Quę cum propter diverſarum tribuum principatus, & juris tuendi ſtudium mutuis bellis obnoxia eſſet; ferventem animum temperare pietate & ſtatis induciis didicit. Menſis primus Muharram dictus, لحرم القتال فيه ait Gieuharæus in linguæ Arabicæ Theſauro, *quia illo menſe*, quem مؤتمر veteres vocabant, *pugnare prohibitum eſſet.* Primus ejus dies, utpote anni caput, ſolennis erat felicis Arabiæ regibus, feſtivitate & munificentiâ celebratus. Qui ritus Perſis etiam, ac pleriſque aliis Orientalibus antiquiſſimus: atque etiam hodie obſervatur; ſed ſtato fixoque tempore, ſcilicet Æquinoctii verni.

Lin. 9. الصفر *Sepher.*] A re fere contraria etymon hic menſis habet ac Muharram, لان الرباع كلها كانت صفرت عن اهلها لانهم خرجوا للقتال في انقضاء الاشهر الحرم inquit Cazvinius, *quia* Arabum *ſedes tunc incolis vacabant; ut qui menſibus ſacris terminatis ad prælium exiviſſent.*

شهر ربيع *Menſis Rabîa.*] Menſibus tribus, III. IV. & VI. & juxta doctiores Arabũ etiam VII. ipſũ nomen شهر præfigitur. Eſt autem, Gieuharæo teſte, ربيع apud Arabes duplex; altera tempeſtatum, altera menſium. Nam annũ olim diſtinguebant Arabes in partes ſex; quæ ſunt I. ربيع الاول *Proventus prior*, nempe herbarum, florum & tuberum; II. صيف *Æſtas*; III. قيظ *Æſtus*; IV. ربيع الثاني *Proven*

Proventus posterior, qui fructuum est; V. خريف *Autumnus*, seu potius *posterior ejus pars*; VI. شتاء *Hyems*. Est itaque ربيع الازمنة *Rabîa tempestatum* illa, de qua nunc dixi. Eodem autem hoc nomine Arabes quoque signârunt secundum & tertium anni mensem, لانهم كانوا يخصبون فيه والربيع الخصب, ait Nuveirius, *propterea quòd tempore illo*, quo utriusque mensis nomen mutatum volebant, *fœcundâ fruerentur annonâ: hoc enim Rabîa denotat.* Sunt itaque duobus anni Lunaris mensibus, duabusque anni Solaris tempestatibus similia quidem nomina; sed tempora & series diversæ. atque hoc ipsum est, quod Gieuharæus innuit.

جمادي *Gumâda.*] لجمود الماء فيه لبرده *quia illo mense aqua frigore constricta fuit.* quod cùm in illo climate esset insolens, hoc nomine mensis insignitus fuit. Ideo autem mensem utrunq;, Rabîam & Gumâdam, nomine geminatum puto, cùm uterq; & *prior*, & *posterior* dicitur; vel quòd utriusque illius rei tempus, unde nomen petitum, longiùs fuit protensum: vel quòd Arabibus placuit imitari hâc parte Syros; qui idem faciebant in mense Tixryn, & mense Canon, quibus Rabîa & Gumâda tunc fortè respondebant.

Lin. 10. رجب *Regeb.*] &, ut doctiores pleriq;, شهر رجب *mensis Regeb*, لترجيب وتعظيم له *propter reverentiam observantiamque illi* mensi exhibitam; ita ut Mesûdes, Nuveirius, Cazvinius, aliique multi testes sunt. Erat enim hic ex mensibus sacris, qui olim induciis dicati, unus; &, prout Arabes referunt, religiosissimè quondam observatus præ tribus reliquis: ideoque شهر الله *mensis*

menſis Dei ; & اصم *Surdus* dicebatur, utpote quo nihil audiretur ſtrepitus bellici. Vel, ut nonnulli volunt, لان العود رجم النبات فيه *quia eo menſe*, nimirum cùm nova imponerentur nomina, *arbores novo germine frondeſcebant:* atque ita menſem proximè ſequentem شعبان *Xabân* fuiſſe nominatum iidem ferunt, لتشعب العود *ob ramorum propaginem.* Ambo autem ſimul ſumpti رجبان *duo Regeb* dicuntur, vel propter utriuſque etymi ſimilitudinem; vel quia hoc ad αὔξησιν quandam Arabibus facit: ut quoque العراقان *Aſſyria & Media*, الحرامان *Mecca & Medina*; aliaque nomina Dualia.

شعبان *Xabân.*] Jam expoſita nominis cauſa fuit ex Arabum quorundam ſententia. autores tamen alii, ſuprà nominati, afferunt aliam: لان القبايل تشعبت فيه للغرات *quòd Arabum tribus eo menſe in cohortes diſtributæ fuerint, belli gerendi gratiâ.*

شهر رمضان *Menſis Ramedân.*] Ita dictus, juxta communem Arabum conſenſum, من رمض وهو شدة وقع الشمس على الرمل وغيره فيه, *ab ardore Solis, qui labente illo menſe arenas & alia exurebat.*

Lin. 11. شوال *Xavâl.*] لشولان الابل ذنابها فيه من شهوة الضراب, ut Meſûdes & alii docent, *quòd hoc menſe cameli quatiebant caudas præ feriendi cupidine.* Libidinis œſtrum hîc intelligunt fere omnes, quo cameli efferantur & in obvios ſæviunt; ſicut & Ariſtot. lib. VI. de Animal. hiſtor. notat. Sed hoc ipſum ſub initium Hyemis contingere Leo Africanus lib. IX. obſervat; ubi Latinus interpres ex Italico perperam tranſtulit *Veris*, vocis affinitate

nitate deceptus: & Kalendarium Ægyptiacum ابتداء هيجان الابل والافيال *primum illum camelorum & elephantorum impetum*, refert ad XXXVI. menſis Ægypt. Athyr, ſeu XIX. Novembris Juliani. cùm tamen rerum hactenus enarratarum ordo arguat menſem Xavâl æſtati fere mediæ congruiſſe. At hâc etiam eâdem tempeſtate camelos ſæpe efferari, à rerum iſtarum peritis accepi. vel quatiendi caudas ea fortè cauſa fuerit, quòd illo tempore camelos veſpis, vel revera œſtro infeſtari contigit; aut potius certo pruriginis & morbi genere, quo jumentum laborans المدبوب, quaſi *à muſcis punctum*, Arabibus denominatur.

ذو القعدة *Dulcâda.*] Quia, ut memorati ſcriptores ajunt, يقعدون فيه من الحرب والغزات *Arabes tunc bello & excurſionibus ſuperſedebant*, quippe hoc menſe illicitis.

ذو الحجة *Dulhagia.*] Quaſi peregrinationis Meccanæ menſem dicas. Nam Arabibus olim ſolennis mos erat, adire templum Meccanum, quod proprio nomine ob quadratam formam الكعبة *Caba* illis appellatum fuit, & celebrare عيد الكبير *Feſtum magnum*, quod & عيد القربان *Feſtum Oblationis* dicitur; nempe X. hujus menſi die. Et quia intra territorii ejus ſeptum nullum prorſus animal necare licebat, dictum illud fuit حرم الله *Præſidium Dei*. Ipſum autem Templum, quod & بيت الله حرام *Domus Dei Sacra* vocatum, certis converſionibus obibant, aliaque ibi & in vicinis locis peragebant ſacra; quæ ab Abrahamo quondam fuiſſe inſtituta jactant: ſed quę ad Iſmaëlem potius referenda fuerint. Religioſa hęc ad Cabam peregrinatio, atq; ipſa ejus ſacra, peculiaritet

الحجة

الحجة *Alhagia* dicta sunt; nomine, quod Ebræis, & Arabibus aliàs *Festum* & *solennem festivitatem* generaliter notat: talem tamen, ad quam publicus undiq; fit confluxus. quemadmodum & حج idem valet quod قصد *aliquò contendit*. Ea itaque Meccani sacri solennitas mensi, in quem incidebat tunc cùm appellatione novâ menses signarentur, nomen dedit. Eandemque Muhammedes, vaferrimus fingendi imperii artifex, suâ quoque lege sanciendam putavit: ut anniversarii & communissimi hujus rirus observatione, atque immunitatibus, quibus à multo ævo Mecca propterea fruebatur, & Arabes & alias gentes ad patriam suam, atque ita faciliùs in nassam pelliceret. Falsum itaque quod vulgò creditur, Meccam quotannis adeundi causam esse sepulchri Muhammedici reverentiam, neque verò hoc Meccæ existit, sed Medinæ. Vt autem anniversaria hæc tum sacra, tum peregrinatio ipsa tutò ac securè fierent, mensis hic, præcedens etiam Dulcâda, & sequens Muharram pace & securitate publicâ sacri erant. Et quia tres illi inter se continui, السرد dicti fuerunt: quemadmodum hieromenia quarta Regeb, quia disjuncta, فرد appellata fuit. dicuntur verò Arabibus اشهر معلومات *Menses noti* seu *definiti*, quorum in Corâno Sur. 2. mentio fit, Xavâl, Dulcâda & Dulhagia.

PAG. II. lin. 2. [بالحساب المطلق وهو الجليل numerus quidem ille *absolutus* dicitur, qui partibus liber est: qui non est, المكسور *fractus*. الجليل verò *celebris* & *vulgatus* est: sed & *grossus* ac *rudis*, opponiturque دقيق *subtili*

subtili & exacto: ita in adagio مَسَائَةٌ دِقٌّ وَلَا جِلٌّ *nec illi exactum quid, nec rude est*; quo hominem stolidum, & bardum notant. atque etiam جلل Gieuharæo exponitur هين ويسير *facilis & expeditus*. Utraque significatio hîc locum habet. talem enim hîc temporum supputationem Autor intelligit, quâ dies colliguntur duntaxat integri, nullâ habitâ horariarum appendicum ratione: quæque, ut Ibn Jonis inquit, مستعمل في اكثر الامر *plerunque usurpari solet*. At verò الوجه الدقيق *modus exactior & subtilior* obtinet, ut idem ait, عند ارادة النقص وفي معرفة الاجتماع والاستقبال بالحركة الوسطية *ubi quod rudiori calculo deest expetitur, & in conjunctionis ac oppositionis juxta medium motum investigatione*.

Lin. 6. وخمس وسدس *Et quinta & sexta pars.*] Ita Arabes subinde loquuntur, & noster autor ferè semper: quod etiam Græcis familiare fuit. Quia enim notatio partium & numeratio per Alphabeticas notas illis intricata erat & difficilis; solebant ipsi (quod apud Ptolemæum, Heronem, Eutocium, & alios videre licet) partes illas, quarum numerator unitate major, in alias plures ita resolvere, ut communis omnium numerator esset unitas. ita Geminus scribit accuratū mensis spatium esse ἡμερῶν κθ′ $\frac{\alpha}{\beta}$ $\frac{\alpha}{\lambda\gamma}$ *dierum* 29, $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{33}$: alii notarent hasce partes β″ χλγ″. Cùm verò nec illa resolutio numerandi molestiam tolleret; ob res Astronomicas inprimis, ubi partium particulæ minutatim subinde computandæ sunt, sexagenaria Logistica introducta fuit. Ejusmodi partium singularium numerum, ex. grat. quintam cum sexta, Arabes الكسر

الكاسر المركب *partem compositam* vocârunt, qualem noster autor paulò pòst intelligit: earum autem aggregatum, ex. gr. undecim trigesimas الكسر المكرر *partem sæpius sumptam*. Et licet Arabes post acceptas ab Indorũ Philosophis decẽ illas notas Arithmeticas, (الرقم الهندي vocant) quibus & nos, ab iis edocti, hodie utimur, partium numerationem habuerint longè expeditiorem, nec resolutionis illius indigam; pro veteri tamen illa consuetudine loqui nonnunquam malunt.

Lin. 7. [يجبر] جبر العظم Arabibus idẽ est, inquit Gieuharæus, quod اصلحه من كسر *os fractum reposuit & solidadavit*, seu *in integrum restituit*. quia itaque partes unitatis Arithmetici كسورا *fractiones* seu *fragmenta* vocant, rectè quoque earundem in unitatem integram coalitus الجبار dicitur. Hinc & vulgatum illud nomen *Algebra* الجبر Analysin Mathematicam notat: utpote cujus præcipuum munus sit, comparationis terminos reducere ad optatam æquationis formam; & speciatim eorundem partes ad integros redigere. Sed quia ad supplendum anni Lunaris defectum Arabes mensem Dulhagiam, qui per se cavus est, ἐμβόλιμον & plenum faciunt, & quidem tricennis quibusque annis undecies; nimirum quotiescunque partes excrescunt supra dimidium diem; præstat illa autoris verba الى يجبر فيها هذا الكسر, generaliùs vertere, *in quo fractio illa reparari potest*. Hoc ipsum apud illos fit anno 2, 5, 7, 10, 13, 16, 18, 21, 24, 26, 29, juxta vulgare illud بعر جوح ادوط كبايس العرب: ubi tres primæ voces literis suis numeros jam definitos, vel integros, vel denario majorum notas ultimas repræsentant. كبايس autem

tem πληρώματα & *supplementa* denotat; كبس enim *implere* & *supplere* est: ita vocant Astronomi dies omnes, quicunque anno adjiciuntur aut inseruntur ad supplendum ejus defectum. Arabum tamen nonnulli annum 15 pro 16 accipiunt; quippe qui etiam tunc Dulhagiam die uno auctum iri volunt, cum excrescentes illæ partes cõponunt semissem: quod quidem contingit anno xv. Eorundem autem numerorum series ducitur à primo anno Higræ: de qua Epocha mox dicetur. Ante hanc Arabes suos menses putabant à Phasi, tàm civiles, quam ecclesiasticos: & veluti nunc intercalares illis sunt anni civiles; ita tunc erant ecclesiastici. Nam, ut cõfluentibus ad Meccani templi solennia peregrinis cõsuleretur, mensis Dulhagja, qui aliàs vagabatur per omnes tempestates anni, injecto frẽno cohibitus fuit, & defixus in autumno; quippe qui ob aëris temperiem & annonæ copiam videbatur commodissimus. Biennio igitur quoque vertente intercalabant mensem, quo Lunaris annus ad Solarem exæquari posset. Qui fere & Judæis mos est, & quondam Græcis, ac etiam Romanis fuit ante Julianam anni constitutionem. Emboliſmus ille Arabibus peculiari nomine dicebatur النسيء, quod *producendi* & *retardandi* significationem habet: ita enim annus vertens protrahitur, ac differtur sequens. Eumque intercalarem mensem Pontifex solenni formulâ indicebat, انا انسا لكم في هذا السنة شهرا, *Intercalo ego vobis*, vel *intercalandum præcipio hoc anno mensem*: ut nẽpe finito mense Dulhagja illum superadderent; & tunc annum ecclesiasticũ exorsi tempus ordine subducerent ad festũ Dulhagjæ proximũ. Ita fiebat, ut computi civilis menses devolverẽtur per computi

hujus

hujus eccleſiaſtici menſes omnes. Qui tamẽ intercalandi mos Muhammedicâ lege antiquatus fuit: quaſi ſolennia illa ſacra ad Phaſin exigenda eſſent, & per omnes transferenda anni tempeſtates. Vnde in Corano eſt, ان النسي زيادة في الكفر *Equidem temporis illa protractio*, ſive *anni dilatio* ἀποβολὴ *magna eſt*. Hæc quidem pluribus refert Cotbodinus (العلامة الشيرازي *Philoſophus Xiraſita* abſolutè dici ſolet) in libro, quẽ inſcripſit تحفة الشاهية في علم الهيئة *Donum Regium*, nempe, *de doctrina Sphærica*.

Lin. 9. بالحساب المصحح *ratione ſubducta*.] vel diviſim, *ita ſecundum calculum ſe habet, rectè ſubductus, &c.* Menſem alium الحقيقي والطبيعي *Verum & Naturalem* vocant Arabes; alium الاصطلاحي *Artificialem*. Ille eſt tempus, quo Luna à phaſi aliqua ad eandem, vel ab una conjunctione ad alterã revertitur. Quemadmodum enim Sol propriè annum facit: ita Luna menſem. indeq; eſt, quòd Hebræi, Græci, Perſæ, Tatari, & pleræq; gentes aliæ eodem nomine & Lunam & menſem denotant. Hujus autem ſpacium evidentibus maximè ſignis, nempe mutatâ ipſius Lunæ facie, in omnium oculos incurrit. quare etiam شهرا vocârunt Arabes; quia *illuſtre* & *manifeſtum*: niſi quis hoc velit deducere à שהרה, quod Chaldæis notat *Lunam*. Hi itaque menſes, *Veri* & *Naturales* meritò appellati ſunt. Sunt autem ipſi duplices; alii, & quidem vulgatiores, بالشرعة *Lege* conſtituti ſunt, atque in ea obtinent; alii بالحساب *calculo* conſtant. In obeundis ſacris vix alia Muhammedani ſpectant tempora, quàm quæ certa & explorata eſſe poſſunt omnibus: quamobrem

qui ad ea ſeſe componunt, اهل الظاهر dici ſolent. Facilis illa & expedita notatio viſu fit; quo diverſi Lunæ habitus, & varia internoſcuntur tempora. Atque ita cùm primus novæ Lunæ, velut renaſcentis, apparet ſplendor, novi menſis initium eſt. ſin verò Lunam circa tempus hoc diutiùs latere contingat, ad diei trigeſimæ finem menſis producitur, & cum eo termino novus menſis principium capit: tunc enim Lunam jugi terminum tranſiviſſe certò conſtat. De eo السنة *Sunna* (quæ apud Arabes nomine, uſu, & autoritate reſpondet תּוֹרָה משנה Judæorum; ut القران תּוֹרָה מקרא) ita præcipit: اذا غم عليكم الهلال فاقدروا له ثلثين *quòdſi novæ Lunæ fulgor* (qui menſis principium ſignat) *vobis occultatur nube, complete triginta dies.* Neque differentia hæc progreſſu temporis modum excedit; quandoquidem corrigitur primo quoque novæ Lunæ conſpectu, qui ſerenioribus illis climatibus rariſſimè negatur. Quia autem phaſeôn Lunarium ratio admodum inæqualis eſt, quemadmodum Autor ipſe cap. xxv. latiùs exponit, non accuratè ſatis menſtrua Lunæ periodus hinc definiri potuit: ſed calculo & ſubtiliore ſtudio ſpacium ab una conjunctione ad alteram inveſtigandum fuit. Ideoque alterum hoc menſis *Naturalis* genus exactius ad Aſtronomos, & اهل الحساب *Computiſtas* pertinere dicitur. Sed cùm in ſupputando tempore & motu menſuram æquabilem, unam, certamque, & numero abſoluto facilem eſſe oporteat, periodi autem Lunaris quantitas talis non ſit; arte quâdam & convenienti methodo, qualem paulò antè Alferganus expoſuit, menſes Lunares ab Aſtronomis & Chronologicis ad uſum concinnati fuerunt. qui *Artificiales*, atque etiam

etiam بالحساب, quasi *calculo & ad calculũ* effecti, Arabibus absolutè dici solent: suntque illi, quos Autor hîc intelligit: quosque etiam in literis, diplomatibus, actisq; publicis, & aliarum civilium rerum præfiniendo tempore Arabes & Turcæ usurpant.

Lin. 15. ايام العرب *Dies Arabum.*] Apud Arabes, uti & Hebræos, Hebdomas dierum ad Creationis memoriam facientium systema & periodus est: ideoque ab ipsa serie singuli Hebdomadis dies nomen habent. ita يوم الاحد *Dies unius* seu *primus* ille est, quo primũ extitit Creationis opus: & eodem modo reliqui. At sextus peculiariter يوم الجمعة *Dies conventus dicitur:* quia eo, utpote sibi sacro, in templum cathedrale convenire solent; quod proinde الجامع συναγωγὴν vocant. Illius suæ observationis causam inter cæteras afferunt, لان اتم فيه خلق العالم, *quòd eo* (die) *absoluta fuit Mundi creatio.* At hæc absoluta non fuit, nisi finito die: nec gratâ consummati operis memoriâ dies quisquam convenientiùs, quàm sequens, celebrari potuit; quo & ipse Conditor quievit: idque illis satis innuit ipsum ejus nomẽ يوم السبت: nam & Arabicè السبت *quietem* notat. Quondam autem apud العرب العاربة etiam alia, velut propria quędam, obtinuêre septem Dierum nomina. Ea in versibus Poëtæ antiquissimi ex tribu ثمود قوم صالح, cujus priscæ gentis excidii Corânus meminit, ita Hebdomadis ordine consequuntur:

اومل ان اعيش وان يومي باول اى باهون اى جبار ٥
اى الموفي دبار فان افته فوموس اى عروبة اى شبار ٥

Spem produco vitæ: attamen Dies meus, i. vitæ finis *futurus die Euvel, vel Bahûn, vel Gebâr.*

Vel

Vel tempus fatale erit Debâr, vel, si hunc exceſſerit, Mûnis, vel Arûba, vel Xijâr.

Innuit Poëta ſe vitæ ſpem alere contra mortem certiſſimam; ut quæ invaſura ſit, vel die Euvel, quaſi *Primo*, aut alio die Septimanæ quocunque.

PAG. III. lin. 3. الروم *Romani.*] Non tam Romanos propriè dictos (quos potius الرومان vocant) quàm Græcos intelligit; uti paulò pòſt apparet, ubi Alexandri Magni epocham Romanis propriam facit. Equidem imperii Romani ſede Byzantium tranſlatâ, & ipſum novæ Romæ, & Thracia Romaniæ, & Græci Romanorum obtinuerunt nomen. Ita Arabes quoq; vicinos iis locis populos, & qui Boſphoro Thracio, Ponto Euxino, Armeniç parte, Amano monte, & Mediterraneo mari, ceu terminis, continebantur, Romanos appellarunt; prout Abulfeda in Geographia ſua docet. quin etiam hodie Syri, Ægyptii & Meſopotamii, qui liturgias Græcanicas ſervant, hoc nomine dicuntur: & modernis Græcis ῥωμαϊκὰ vulgare ſuum idioma. Græci autem veteres à יפת Japheti filio, unde & Jones, اليونان Arabibus ferè ſemper nuncupari ſolent. Reliqui autem, qui Romano imperio ſuberant populi, propriis ſuis diſtincti nominibus. Cæterùm quod ab الروم pluralitatis formâ nomen ſit الارومام, hodie quidem eos denotat, qui vernaculâ utuntur Turcicâ linguâ: ſed tantùm prognatos illis, qui à Gingis Chân circa annum Chriſti 1202. ad Græcos, vel ab hiſce poſtea ad Othmannos defecerunt, aut durâ tyrannidis lege Græcorũ pueri abducti fuerunt. Hos gentilitium domini ſui nomen, cùm Turcæ dicuntur, habere ut vernas, ipſorũ doctiores teſtantur. Nam gente Turcicâ, nobili illâ & bellicoſâ,

bellicosâ, quę ultra Bactrianos, ubi Massagetarum sedes, longè lateque patet, soli in imperio Turcico, ut nos vulgò illud vocamus, Otsmanni, qui illud tenent, oriundi censentur. Reliquorum autē stirpes vel confusione cum aliis populis factâ, vel oppressione quâdam, ne plures præ nobilitate se efferrent, ibidem obliteratæ sunt.

Lin. 6. السريانيين *Syrorum.*] Hoc communi nomine quoque designant Assyrios & Chaldæos. Peculiariter autem الخلدانيين *Chaldæos* vocant, qui venerabantur stellas, & Terræ genios. Ita ut hoc non tam gentis nomen illis sit, quàm sectæ: quæ etiam الصابة والحرانيون *Sabæ*, & *Harranii* dicuntur: quoniam summum tribunal ac primarium templum habebant in Mesopotamiæ urbe Haran, sive Carris. Chaldaicæ verò gentis reliquias, quę tractuum illorum montes occuparunt, الاكراد *Curdos* appellant; quasi *pulsos*, uti autores quidam volunt: sed idem hoc esse nomen puto, quod aliàs الكردانيون & الكسدانيون scribunt, nempe ipsum الكلدانيون *Chaldæi*: neque Curdi illi diversi videntur re aut nomine à Gordiæis; quos sæpe memorant Græci & Latini scriptores.

Ibid. تشرين *Tixryn.*] Quid singula horum mensium nomina denotarint, in ultimæ antiquitatis recessu latet: pleraque tamen spectare Deos existimo, quos Chaldæi colebant: qualia mensibus suis nomina indidêre multæ aliæ gentes. Videtur quidem אדר *Magnus* esse الرب العظيم وهو رب الخير *Dominus*, seu *Deus Magnus, qui est Dominus boni*; prout Sabæ ipsi vocant: quibus & alter erat الرب الشمال *Deus lævus.* Pro Haziran Heliopolitanos dixisse ὀζίρ, testis est Theo Alexandrinus libro εἰς προ-

χείρες καιόναις: ubi demonſtrat menſes eorum pleroſque omnes nomine & ordine cum Syriacis concordaſſe. neque tantum earundem vocum, Haziran & ὀζιρ, eſt diſcrimen, ut non genti utriq:, diverſimode pronuncianti, una eademq; habita fuiſſe videatur. At dubium, an utrique intellexerint Oſiridem Ægyptiorum, qui ſecundum Græcos eſt Bacchus. Ille enim videtur eſſe Tammuz, quod nomen eſt menſis ſequentis: ſimillima quippe erant Chaldæis & Ægyptiis Dei utriuſq; ſacra & feſta. Ea de re Abulfergius, qui ſolennes Chaldæorum & Sabarum ritus juxta eorundē tradita deſcripſit, ita habet: في النصف منه عيد البوقات يعني النساء المبكيات عبد يعل لتاوز الاله ويبكي النساء عليه كيف قتله ربه وطحن عظامه في الرحا ثم ذراها *In medio ejus* (menſis Tammuz) *agitur feſtum Boucât, id eſt, Mulierum ejulantium*, ſive *Baccharum*: (potius *Tubarum* dicendum; niſi ſcribatur, الباكيات) *quod celebratur in gratiam Dei Tawuz.* (qui non alius videtur eſſe à Tammuz, quē fœminæ planxiſſe dicuntur apud Ezech. VIII.) *Eum verò mulieres deflent, quomodo interfecerit eum Dominus ſuus, & oſſa ejus comminuerit in mola, & poſt diſperſerit.* Deinde extremū menſis lætitiæ datum, & inter viros ſympoſiis traductum. Quæ non malè quadrant in Bacchum & calcatā uvam: cujus prælo expreſſę ſcapi cum folliculis & acinis abjiciuntur. Poſſunt tamen ritus illi ex doctiſſimi Seldeni aliorumq; mente referri ad Solem: cujus ſymbolum illi ſtatuunt Oſiridem, & Adonim, qui D. Hieronymo aliiſq; Tammuz eſt. Chaldæi enim Aſtrologiæ & Agriculturæ inventa, velut Sacra, in honore habebant, cœli & terræ numinum ſuperſtitioſi cultores. Quod autem occurrit

rit lin. 13. ايلول, quibuſdam ſcribitur ايلون: hoc autem nomine appellari Saturnum teſtis eſt Euſebius de Præpar. Euang. lib. 1. cap. 7. Niſi quis malit Ilul eſſe nomen regis Aſſyriorum quarti, quem nonnulli Ilulæum vocant. ita Haziran ſeu ὀζίρ videri poſſet nomen regis tertii, quem iidem autores Chozirum dicunt; pro quo Ptolemæus habet χινζηρον. Hoc & apud Romanos atq; alios factum, qui in ſignādis menſibus Imperatorum nomina adjunxerunt nominibus Deorum: eodem ferè ritu, quo illos in horum numerum retulerunt. Curdi, de quibus dixi, eadem ferè cum Syris menſium nomina habent: & quidem deſignantia ipſis, uti ajunt, res tempeſtati cuiq; convenientes. niſi quod pro Eijâr illis ſit Gulân, i. *Roſaceus*, & pro Ab menſis Dabâc, i. *Æſtuoſus*: & pro Eilul quoque Ilun, i. *Aridus*. Illa tamen Syriacorum menſium ſignificata poſterioris eſſe inſtituti exiſtimo, & petita ab ipſo eorundem ſtatu ac tempeſtate. Obſervandū etiam Curdis iiſdem anni caput eſſe Adar: Sabis, uti & Chaldæis olim fuit, menſem Niſan: Syris ſive Syromacedonibus Tixryn priorē; ita ut autor noſter habet. Hoſce autem hodie in illis oris ſequuntur Iacobitæ & Neſtoriani: Chriſtiani ſaniores, qui الملكيون *Regii* fuêre dicti, vel quòd faventes ſibi Imperatores habuerint, vel quòd fide, ordine & autoritate cæteris antiſtarent, Græcorum Eccleſiam hâc quoque in parte ſequuti, primum anni menſem faciunt. Canon poſteriorem, qui illorum Ianuario reſpondet.

Lin. 28. الروم *Romanorum*.] Hanc menſium apud utroſque congruentiam ab eo demum obtinuiſſe tempore credibile eſt, quo Romanis Syri paruerunt. Id quidem ſatis convincunt rationes illæ, ob quas ſingulos Roma-

norum menſes illo ſuo dierum numero fuiſſe à Julio Cæſare conſtitutos, Cenſorinus refert. Quò etiam hoc accedit, quod uterque annus, & Julianus & Syrus, eandem habēt diei intercalaris ſedem, & eodem ſimul tempore recipiunt diei illius additamentum.

PAG. IV. lin. 4. ماه فروردين *Ferwardîn ma.*] Plerique tamen menſem Ferurdîn, & quidam Ferudîn vocant. Menſium nominibus plerunque addunt Perſæ vocem ماه, quæ *menſem* notat, ut à cognominibus diebus diſtinguant: ideoque & conjunctim ſcribunt, ut فروردينماه: componunt enim voces Perſæ, velut Græci & alii. ita Germanis quoque & aliis quibuſdam populis menſes ſuos efferre mos eſt. Nomina autem menſium ipſa, ut & tricenorum dierum, & quinque ἐπαγομένων, deſumpta ſunt à Diis vel Dæmonibus & Angelis (nam ملايكة vocant;) quos iiſdem præeſſe vetus Perſarum & Magorum religio dictabat: quemadmodum Cazvinus, Cotbodînus, aliique ſcriptores Perſici tradunt. Enimverò cum aliis quoq; Orientis Gentibus Perſæ ſtatuebant بالملايكة اصلاح العالم الاسفل *Per Angelos diſpenſari res inferioris Mundi.* Die quolibet peculiare illis طلسمة وزمزمة πλεσμα *ſuum & ſacræ voces* erant; & quid ipſi in ſacris ac profanis ſectarentur vel caverent, dierum ſerie & vicibus monebantur: eò etiam progreſſâ ſuperſtitione, ut amictus, cibi, potus, & odorum quotidie delectum haberent; uti Cazvinius & alii recenſent. & ابن الخطيب الراري in libro quem inſcripſit سر المكتوم, particularem earundem rerum obſervationem ad ſingulos dies in tabulas digeſſit. Quæ tamē de ipſis Magis potius, quàm

quàm de toto populo intelligenda putem. Quis autem Deorum primo menſi apud Perſas nomen dederit, nondum apud ſcriptorem quempiam deprehendi. Neque inter فروزد, quod ſtellã Jovis notat, & فروردين tanta eſt ſimilitudo, ut hoc per illud interpretari auſim. Nuveirius & alii hunc شهر فريدون *menſem Feridûn* vocant. at Feridûn fil. Gjemxîdis faciunt VII Perſarum regem, de quo Teixeira li. I. c. VII. De hujus regis nomine menſem hunc fuiſſe dictum ſtatuit Meſûdes; & menſes etiam alios regum (qui dii minores habiti) cognomines facit. Sed hoc, præterquam quòd aliter tradunt ipſi Perſæ, in paucis duntaxat demõſtrari poteſt, & potius caſu videtur contigiſſe, quòd ipſi illi reges à Genio, quem nativitatis aut alius ſtatus comitem habere credebantur, nomen acceperunt (ſic Mihr & Bahram regum quidẽ nomina ſunt; ſed quæ primò conveniant Soli & Marti, ſeu Intelligentiis potius, quæ haſce ſtellas ex ſententia illorum regunt) vel quòd reges quidam, ſuperbiâ elati, per laſciviam, ut inquit Plato, Deorum cognomina aſſumpſerunt.

Lin. 5. النوروز *Neuruz.*] Ad verbum νεομηνία, *Novus dies.* Ita Perſæ præcipuum anni feſtum vocabant, celebrando novi anni auſpicio dicatum. Id quidem inſtituiſſe primùm, & hoc nomine vocâſſe fertur quintus Perſarum Rex جمشيد Gjemxîd (cui & Cotbodinus Perſici anni formam acceptam refert;) quòd felici illo die, quo lucem & motum incepiſſe, ut Nuveirius inquit, Perſarũ opinio erat; ipſe imperium adeptus eſſet. Hoc ſenũm dierum feſtum erat, eodem autore teſte. qui addit, diem ſextum vocatum fuiſſe النوروز الكبير νεομηνίαν *magnam*; pro quo alii quidã habent الخاصة *peculiarem*, ſive *Regiam:*

propterea quòd Persarum reges, reliquis ferè diebus ordine gratificati subditis, nempe die 1. (ita Cazvinius tradit) Populo, 2. Doctoribus & Astrologis, 3. Sacerdotibus & Consiliariis, 4. Proceribus & Propinquis, 5. Liberis, sextum haberent sibi proprium. Die sexto hoc ad Reges tunc undiq; comportabantur dona; offerentibus inter cæteros Astrologis ineuntis anni ephemerides & ἀποπλάσματα. qui ritus per totum ferè dimanavit Orientem, in hunc observatus diem: eoque factum, ut hoc Tabularum genus النحة (vulgò *Almanach* dicitur) i. *Donum* seu *Strena* vocatum fuerit. talia regibus inscripta me in Oriente plura vidisse memini. De hujus festi ritibus etiam alia memorat Ibn Mucfa, quæ huc afferre libet:
انه كان عادتهم فيه ان ياتي الملك رجل من الليل جهل الوجه
قد ارصد لما يفعله فيقف علي الباب حتي يصبح فاذا اصبح دخل
على الملك من غير استيذان فتداراه الملك يقول من اين
انت ومن اين اقبلت واين تريد وما اسمك ولاي شيء
وردت وما معك فيقول انا المنصور واسمي المبارك
ومن قبل الله اقبلت ومعي السنة الجديدة ثم يجلس ويدخل
بعده رجل معه طبق من فضة وفيه حنطة وشعير وجلبان
وحمص وسمسم وارز من كل واحد سبع سنابل وتسعة حبات
وقطعة سكر ودينارات جديدان فيضع الطبق بين يدي الملك
ثم يدخل عليه الهدايا ويكون اول من يدخل عليه وزيره ثم
يقدم للملك رغيف كبير مصنوع من تلك الحبوب موضوع
في سلة فياكل منه ويطعم من حضره ثم يقول هذا يوم جديد
من شهر جديد من عام جديد من زمان جديد يحتاج ان
يجدد فيه ما اخلق من الزمان ثم يخلع على وجوه دولته
ويصلهم ويفرق فيهم ما حمل اليه من الهدايا وكانت عادة
عوام

عوام الفرس فيه رفع الناس في لولته ورش الماء في صبيحته

More receptum eo die apud illos erat, ut formoso vultu aliquis de nocte ad Regem veniret, ei præpositus rei. Hic ad portam stabat, donec illuxisset aurora; tumque ad Regem sine venia intrabat. Et familiariter cum eo congressus Rex dicebat: Vnde tu, & unde venisti? quò tendis, & quod tibi nomen? in quem finem accessisti, & quid apportas? Inquiebat ille: Invictus ego & augustus; estq; mihi Benedicto nomen: accessi huc à Deo, novum afferens annum. Deinde ut hic consedisset; intrabat alius paropsidem argenteam portans, in qua triticum, hordeum, fænugræcum, ciceres, sesama, & oryza (sc. generis cujusque spicæ septem & novem grana) frustumque sacchari, & aurei recens cusi duo. Tum paropside Regi appositâ, afferebantur illi dona: & primus ingrediebatur imperator exercitus, deinde ærarii præfectus, tum præfectus apparatus bellici: denique populus secundum classes suas & ordines. Post ea panis magnus, qui ex granis ejusmodi confectus erat, in corbi positus, offerebatur Regi, ex quo cum ipse comedisset, cæteris, qui coram adessent, comedendum dabat; inquiens, hic novus dies est mensis novi de anno novi temporis novo: quo renovari necesse est, quicquid tempore constat. Tandem regni sui proceribus, veste regiâ ornatis benedicebat, in eos distribuens quicquid doni allatum esset. Erat autem vulgo Persarum mos, nocte illâ excitare homines, & manè aquam spargere.

Ibid. اردیبشت & اردیبهشت *Aredbihisht.*] Ita Persis dictum ignis ac lucis Deum, quique Medicinæ præesset, à Cazvinio traditum. Ideoq; Magi, qui Ignem, & Lucem colebant, xxv. hujus mensis die primum ac præcipuum كهنبار *Cahanbâr*, quasi *Antiquam Periodum* dicas, (pro quo Arabes suo more scribunt الجاهنبار) auspicari solebant.

bant. Erant autem hujusmodi sena quotannis sacra, quinûmdierum singula. Quæ Zoroastes religioni Magicæ, seu Persicæ, quondam præscripsisset; in memoriam, ut Persæ volunt, sex dierum Creationis.

Ibid. خرداد *Chordâd.*] Ita Persis appellatum fuisse tradit Cazvinius arborum & herbarum Deum; quique ab inquinamẽto vindicaret aquas. ac proinde ultimo hujus mensis die, ابریکان, Persicè notans *aquæ lustralis festum*, celebrari solebat.

Ibid. تیر *Tyr.*] Hoc nomen Persis *Mercurium* notat inter alia significata multa.

Ibid. مرداد *Mordâd.*] Videtur esse idem, quem Arabes vocant ملک الموت *Angelum mortis*, & ابـا یحیی, ac proprio nomine عزرایيل: sonat enim Persis مرداد quasi *dator aut nuncius mortis*. Hic autẽ Azraël dicebatur illis, Cazvinio teste, مسکن الحرکات ومفرق الارواح من الاجساد *reducere ad quietem motus, & animas à corporibus separare.*

Ibid. شهریر *Xahrîr.*] Chalil Sophus in Lexico Persico hunc mensem شهریار *Xahrijâr* appellat. Quo quidem posteriore nomine celebris Persarũ tyrannus dictus fuit; sed ex ultimorum Regum ordine: quare aliunde hoc nomen inditum fuerit; nimirum ex Persarum, ut ipsi volunt, Dæmonurgia.

Ibid. مهر *Mihr.*] Persicè *Solem* notat; unde hic mensis, & festum *Mihrgîan*, i. *Solis genius*, nomen habent. Et quemadmodum Sole reverso, ac periente sinum Terrâ, solennia Neuruz; ita abeunte Sole, & Terrâ sinum claudente, solennia Mihrgiân pari ferè festivitate celebrata sunt: nec videntur diversa à Mithriacis Sacris, quorum

Græci

Græci sæpe meminerunt: siquidem Μίθρας Persis dicebatur Sol; ut Hesychius, Strabo, aliique notant. Et hæc quoque sex dierum erant; eorumque ultimus المهرجان الاكبر, itemq; المهرجان الخاصة dictus. De festo illo apud Nuveirium elegans extat locus, quem similiter exscribere visum est: وكان مذهب الفرس فيه ان تدهن ملوكهم بدهن البان تبركا وان يلبس القصب والوشي ويتوج بتاج عليه صورة الشمس وحجلتها الدايرة عليها ويكون اول من يدخل عليه الموبدان بطيخ وفيه اترج وفيه قطعة سكر ونبق وسفرجل وعناب وتفاح وعنقود عنب ابيض وسبع حبات آس قد رمرم عليها ثم يدخل الناس على طبقاتهم بمثل ذلك، وكان اردشير وانوشيروان يامران باخراج ما في خزايهم في المهرجان والنوروز من انواع الملابس والفرش وتفرق كلها في الناس على مراتبهم ويقولون ان الملوك يستغني عن كسوة الصيف في الشتاء وعن كسوة الشتاء في الصيف وليس من اخلاقهم ان يخبوا كسوتهم في خزايهم ويساووا العامة في فعلها، *Mos Persarum eo festo fuit, ut reges ipsorũ oleo balanino in benedictionem inungerentur. Induebat Rex subtilem & variegatam vestem, cidari ornatus, supra quam imago Solis, constricta ambiente orbe. Primus verò, qui ad illum ingrediebatur, erat Magorum antistes; ferens paropsidem, in qua citria, frustum sacchari, lota, cydonia, syspipha, poma, albarum uvarum botrus, & septem myrti baccæ; super quibus sacra dicebat verba. Eodem modo accedebat deinde populus, secundùm dignitatis gradus. Præceperunt autem Ardexîr & Anuxirvân reges, ut festis Mihrgian & Neurûz omnia vestium & stratorũ genra ex apothecis deprompta populo juxta suos ordines distribuerentur. Ferunt enim Reges hyberno tempore haud fuisse usos vestibus æstivis, nec æstivo hybernis; neq; iis morem fuisse*

veſtes in apothecis aſſervare, aut vulgo in iis, quæ faceret, ſimiles videri. Nuveirius verò aliiq; tradunt مهر *Mihr* ſignificare antiquis Perſis *vindictam, & talionem*: & hoc feſtum ita dictum volunt, quod Ferudîn Perſarum Rex victo Dahâc tyranno, avi ſui Giemxidis cædem vindicaſſet. Hoc poëta Ibn Tahir intelligit, ubi inquit:

ومعناه ان غلب الفرس فيه قسوه للروح حفاظا ،

Ejuſque, nempe Mihrgiân, *ſignificatio, quòd illo die Perſæ vicerunt; vocaruntq. eum juris animæ aſſertorem*, ſeu *vindicialem.* dictum fuiſſe Poëta indicat, *Diem vindicatæ cædis.* At Meſûdes ait *Mahr* nomen eſſe regis cujuſdam Perſarũ, injuſti & exoſi, à cujus morte & menſis, & dies ejus xvi. dictus fuerit: quaſi ذهبت فيه نفس مهر, *abiit eo* die *anima Mahri.*

Lin. 8. فروردیجان *Ferurdigiân*.] Chalil Sophus vocat فروردیان: utrunque à primi menſis nomine, uti videtur, deductum. Quinque autem hoſce dies, quorum primus eſt xxv menſis Abân dictus اشتادروز, videntur Perſæ Inferiis conſecraſſe, ut qui يزعمون ان ارواح موتاهم تخرج في هذه الايام من مواضع ثوابهم وعقابهم, teſte Cazvinio, *exiſtimarent ſuorum manes hiſce diebus prodire ex præmii & ſupplicii ſui locis.* Quemadmodũ & Romani olim Inferiis litabant ſub finem menſis. Idemque autor alibi refert Perſas eo tempore ſuper mortuorum tumulis epulas ſtruxiſſe. Hunc ritum hodie nonnullæ Orientis gentes ſervant: etiam Chriſtiani Armenii. Quorum majores olim, tempore Paganiſmi, religionem ſectabantur Perſicæ proximam: unde ferè hunc apud ſe morem remanſiſſe ipſi non inficiantur.

Ibid.

Ibid. اندرجاهات *Andergiahât.*] Quasi *Potestates adscititias* seu *secundarias* dixeris. Nam Persis جاه idem est, quod Arabibus عزة ومنصب *potestas* & *dignitas*; & اندر *internus, immissus, & adjunctus* est: atq; etiam eo usurpatur modo, quo Turcis Tatarisque اوكي *ougei*, Belgis stief/ cùm prępositа nominibus, patrem vel filium notantibus, vitricũ vel privignũ significant. Ita ferè intelliguntur hîc accessoria, seu secundaria Deorum nomina, quibus Epagomenas consacrârant. Vel dicendũ جاه Arabico more scribi pro كاه Persico, quod *tempus & locum* notat: ut sit اندرجاهات *Insiticia tempora*, sive *Assumpticii dies*. Quare autem hi ipsi inserantur anni medio, non adjiciantur ad ejus finem, uti in Ægyptiorum anno æquabili fit; & quid porrò de anni Persici forma habendum, planiùs exponere, & idoneorum testium fide comprobare operæ precium fuerit: præsertim cùm doctrinam hanc multa hactenus ambiguitas & obscuritas involvat. Notandum itaque illud priùs, quod inter alios Nedamodînus, Philosophi Thusii Nasirodîni discipulus, في شرح السني *in* tractatu *de annorum explicatione*, scribit: كانوا الفرس علي ملة في كفرهم يمتنعون ان يكبسوا السنة بيوم واحد كما يفعلوا الحساب والرومين *religione certâ Persæ Paganismi tempore cavebant, ne intercalarent aliquem diem: ut Tabularum constructores, & Romani* vel *Græci faciunt*. Causam reddit Mesûdes: لان ايامهم كانت سعودا ونحوسا فكرهوا ان تنتقل بكبس يوم ايام السعود الي ايام النحوس، *quoniam eorum dies fasti & nefasti*, seu *felices & infelices erant*, *oderant diei intercalatione fastos in nefastorum locum*

transferre. & apertiùs Philosophus Xirafita in libro *Meteorologiæ*: اذ لكل يوم من الخمسة الزايدة نهاية الادراك والشهر اسم خاص هو اسم ملك ولهم زمزمة كل يوم باسم ملك ذلك اليوم وعلي هذا لا يصح زمزمهم بزعمهم اذا يزيدوا في ايام الشهر يوما، *propterea quòd cuiq; & v. Epagomenωn & ipsius mensis diei certum nomen esset proprium, nempe Angeli alicujus nomen; & cujusque diei sacra verba & vota illis essent, juxta Angeli ejus diei nomen: ideoque haud ritè illa procederent ex eorum sententia, si ad dies mensis diem adjicerent.* Eadem intercalationis omissæ causa Ægyptiis quoque videtur fuisse: nam & hosce spectasse cujus Deorum dies quisque esset, autor est Herodotus lib. II. Vel utrisq; communis causa hæc fuerit, quòd eorum sacerdotes regundi temporis mysterium sibi proprium esse vellent: quod ex Strabone lib. XVII constat, ubi exponit, quam difficile Platoni & Eudoxo fuerit ab Hierophantis Ægyptiorum discere, quæ diei & noctis particula CCCLXV diebus deesset ad complendum annum. Peculiariter autem لعلماء الفرس *Persarum Sapientibus*, ut plerique autores scribunt, curæ fuit annum post certum temporis spatium in integrum restituere, vagumq; sistere; præsertim cùm certas anni tempestates pleraque ipsorum sacra respicerent. Quod ut salvâ religione illâ, de qua modò diximus, præstare possent, ياخذون الكسر ربعا تاما ويزيدون في كل ستة شهرا ليتوافق سنوهم مع سني الروم, inquit Cotbodînus, *assumentes particulam* (scil. anni æquabilis reliquam) *pro quadrante integro, adjecerunt* CXX *quibus; annis mensem unum*, (tot enim annis totidem diei quadrantes componunt triginta dies) *ita ut ipsorum anni*

anni congruerent cum annis Romanorum, seu *Græcorum*. postrema hæc docti scriptoris verba generaliùs interpretor, Persas Solarem annum & emboliſmum pari cum Græcis quantitate æstimâsse; sive illi hosce imitati fuerint, sive non. Methodum autem intercalandi ipsam, Persis quondam usitatam, paucis quidem, sed tamen dilucidè, explicat Nedamodînus in hunc modum: وتلك السنة ثلثة عشر شهرا يسمونها بيهرك ويسمون الشهر الزايد باسم شهر مرادوه عقيبه ويزيدون الخمسة المسترقة ايضا في اخر ذلك الشهر لتكون زيادتها علامة له الى طول اخر, *annus ille*, nempe CXX, quo intercalandus mensis esset, *mensium erat tredecim, eumque annum vocabant Byhzec; & mensem intercalarem nomine ipsius mensis, cujus fini ille addebatur. Ad mensis autem intercalaris finem adtexebant quinque Epagomenas: ut ipsa hæc additio intercalari mensi signum foret in vicem proximam*, scil. ut post CXX annos embolimus ille mensis suo nomine & loco sine errore adhiberi posset: quemadmodum hoc Cotbodînus exemplis declarat. Erat namque intercalatio suo ordine promovenda de mense in mensem, nempe à Ferurdîn per succedentes menses ad Asfendarmed usque. atque hæc دورة الكبيسة *Periodus Embolimica* dicitur: estque على جليل من الحساب (ut Cotbodînus habet) ὁλοσχερῶς *putata*, annorum 1440. Atque ita fiebat, ut Neurûz & festa reliqua, quæ annorum 120 spatio paulatim suas sedes quasi integrum mensem antevertebant, uno mense geminato in easdem retraherentur. Quo autem modo Epagomenæ ad Abân translatæ, & quare ibidem hæserint, Cotbodînus docet hisce verbis: ولما جدد المارسخ ليزدجرد بن شهريار بن كسري

المعروف بالعادل كان قد انتهي الشهر الزايد الى ابانماه لمضي
ظس سنة من دور الكبس وكانت المسترقة في اخره، ولما
ذهبت الدولة على يديه في زمان عثمان بن عفان حيث
قتل في بيت طحان بمرو الشاهجان بقيت الخمسة تابعة لابان
من غير نقل وكبس. ولهذا يزيدها بعضهم في اخره
ابقاء على حاله وبعضهم في اخر اسفندارمذ لانه اخر
السنة، *Cùm autem Iezdagirdo, fil. Xahrijâri, fil. Cosræ, qui Iustus cognominatus fuit, Epocha instaurata esset, jam addititius ille mensis pertigerat ad Abânma, elapsis de Embolismi periodo annis 960, ejusq; mensis finem sequebantur Epagomenæ. Postquàm verò Persicum imperium illi ereptum esset, tempore Otsmânis, fil. Afâni, quando in domo cujusdam molitoris* (in quam fugiens se receperat, ut certiùs lateret,) *interfectus fuit prope Marvam Xahgiânæ*, i. animæ regiæ, (ita ob amœnitatem cognominata fuit, ad aliarum Marvarum discrimen; situ & nomine respondens Marucæis Ptolem.) *quinque illi dies adhæserunt Abân mensi, sine ulla traductione aut embolismo. Ac proinde Persarum alii hosce dies apponunt mensis illius fini, eâdem servatâ constitutione; alii verò fini mensis Asfendarmed, quia hic est anni ultimus.* Iezdagirdi autem epocha, teste Kuxiân Gilæo في الزيج الجامع *in tabulis Astronomicis universalibus*; & Alfergano, aliisque omnibus consentientibus, fuit اول يوم من السنة ملك يزدجرد فيها
وهو ثاني والعشرون من ربيع الاول احد عشره للهجرة والسادس
عشر من حزيران سنة ثلث واربعين وتسع ماية لذي القرنين،
Primus dies ejus anni, quo Iezdagirdus auspicatus fuit imperium, nempe 22 Rabîæ prioris, anno Migrationis Muhammedicæ undecimo; & 16 Hazirân, i. Junii, *anno Bicor-*

Bicornis, i.e. Alexandri Magni, *nongentesimo quadragesimo tertio*. Ex hisce itaque & præcedentibus omnino evidens est, Persas embolismo mensis usos fuisse, ante Alexandri Magni epocham, quæ etiam Seleucidarum & Contractuum dicitur. Sed quoniam 20 quasi annis ante initæ ejus epochæ tempus, Persæ ab Alexandro fuerunt subacti, scil. circa Periodi Embolimicæ initium: videntur Cotbodîni verba favere potius, quàm obstare, si quis opinetur Persas à Macedonibus aut Græcis intercalandi rationem accepisse, vel eorũ saltem exemplo eam, quam ipsi norant, suis institutis accommodâsse: ut frænari annus utcunq; posset, nec tamen rituum & sacrorum nominum series turbaretur. Idem autor quidem alibi, atq; multi alii scriptores tradunt, anni Persici formã à Giemxîde constitutam fuisse: sed tamen minùs expresse docent, an æqualitatem, an mensium dierumque nomina, an deniq; intercalandi illum modum spectari oporteat. Et sanè eo tempore regem illum vixisse Persæ referunt, quod alterius Periodi initia antecedit. Quamobrem si talis aliqua Persis expleta fuit, ea iniverit post Giemxidem. sicut eorum Sapientibus passim attribuitur: tunc quidem, ut verisimile est, instituta, cùm sacra & festa ab anni tempestatibus, quas respiciebant, longiùs prolapsa essent. Hoc saltem indubitatum est, Astronomos Persicos non minùs, quam Ægyptios, in rerum cœlestium computo æquabilem annum constanter usurpâsse: & probabile, idem quoque illos feciisse in civili & populari usu. Neutrobi enim embolismi causa locum habet, ob quam intra certos limites annum videntur continuisse. Ideoq; licet post Iezdagirdum, cùm Persicæ superstitionis ritus, & circa dierum ordinẽ sacra per Muhammedicos

cos reges paſſim ſublata eſſent, menſium illa & dierum nomina Perſæ nihilominus retinerent; omnem tamen prorſus intercalationē repudiarunt. Quam etiam æquabilis anni rationē apud Perſas Alferganus noſter tantùm agnoſcit; ut & Philoſophus ille Perſa, jam ſæpius allegatus, ubi inquit præcipuas Tabulas uſque ſuum ævum (ſcripſit autem circa annum Chriſti 1285) compoſitas ſecundùm annos Perſicos fuiſſe. Sed cùm à Iezdagirdo ad regis Gelalodaulæ Salguçidæ tēpora, annis Solaribus 419 elapſis, caput anni retrogreſſione ſuâ Veris initio appropinquâſſet, dicti regis auſpiciis Neurûz aliæque ſolennes feſtivitates, quibus Perſæ addicti erant, loco commodiſſimo affixæ fuerunt: novâ anni formâ, quæ Solis motui quàm maximè reſponderet, excogitatâ ac invectâ. Eam inter alios quoque Cotbodînus ita deſcribit: والتاريخ الملكي منسوب الى السلطان جلال الدولة ملكشاه بن الب ارسلان السلجوقي والسبب فيه انه اجتمع في حضرته جماعة من الحكماء منهم عمر الخيام والحكيم اللوكري وغيرهما وهم ح فوضعوا تاريخا ابتداوه نزول الشمس في نصف نهاره في الحمل ويسمي بالنوروز السلطاني فسنوه شمسية حقيقة وكذا شهوره عند من يجعل ايامه بحيث يتفق حلول الشمس اوايل البروج مع اوايل الشهور وفصول السنة حقيقة واصطلاحية عند من يجعل ايامها ل ل ليلا يختلف عدد الايام في اوراق التقويم ويزيد الخمسة في اخر اسفندارمذ وهي اكثر المنجمين واسماء شهوره هي اسماء شهور الفرس مقيدة بالجلالي وتلك بالقديم مثلا فروردين الجلالي وفروردين القديم وكان قد انتهي في ذلك الوقت نزول في ح يوما من فروردين القديم فهم جعلوه اول فروردين

فروردين الجلالي والثمانية عشر كبيسة وكذا يقولون
مبداء التاريخ الجلالي هي الكبيسة الملكشاهية اي الجلالية
وفي كل ٤ سنين يكبسوا يوما ويصير ايام السنة ششس ولان
الكسر الزايد اقل من الربع بقليل فالكبيسة اقل من يوم ولهذا
قد يتفق ان يكون الكبيسة بعد ٤ وذلك بعد ان كبس
بعد اربع سنين ٢٠ مرات او ح ،

Aera autem Regia denominata fuit à rege Gelalodaula Melicxa, fil. Olbarſelâni Salgucidæ: de quo Hiſtor. Sarac. lib. III. cap. VIII. *Ejus cauſa fuit, quod Philoſophi complures ad illum convenerunt; ſcilicet Omar Chajâmus*, i. e. ſcenopegus, *Philoſophus Laucaræus*, (ita dictus à pago ad fluvium Bactrianæ Zariaſpim) *& alii, numero* VIII. Nedamodînus etiam Abda-lrahmânum Haziræum nominat: eoſque omnes à Rege petiiſſe ſcribit, ut loco intercalationis Perſicæ adhiberetur Græca; utq; caput anni in perpetuum aſtringeretur Æquinoctio verno. *Et inſtituerunt illi æram, cujus principium eſſet meridies poſt ingreſſum Solis in Arietem, atque Neuruz diceretur Regium. Ejuſdem autem æræ anni ſunt Solares veri; uti quoque ejus menſes: nimirum apud eos, qui dies ejus ita diſpeſcunt, ut ingreſſus Solis in Signorum principia, & ipſorum menſium principia inter ſeſe congruant. ſunt & veræ ſeu Naturales ipſæ tempeſtates anni. At menſes Artificiales obtinent apud illos, qui ſingulos faciunt tricenorum dierum; ne in Calendarii paginis dierum numerus diſcrepet: quinq; autem illos dies aſciticios fini Aſfendarmed addunt. tales ſunt Aſtronomorum plerique. Aeræ verò hujuſce menſibus nomina eadem ſunt, quæ menſibus Perſicis: at illa cum adjectione Gelalæi; hæc verò cum adjectione Veteris: veluti Ferurdîn Gelalæus, & Ferurdîn Vetus. Ingreſſus autem fuerat illo tempore Sol in principium Arietis die* XVIII *Ferurdîn Veteris, quem*

illi faciebant primum Ferurdîn Gelalæi : & XVIII *illos dies habebant intercalares*; quasi ad præcedentis anni finem, extra ordinem adjiciendos; uti in embolismo fieri solet. aliàs كبيسة κατ' ἀντίφρασιν, quæ apud Arabes satis frequens, *exemptiles* verti posset. *Atque ita dicunt principium Epochæ Gelalææ esse embolismũ anni Melicxahæum sive Gelalæum. Quaternis autem quibusque annis intercalant diem : suntque anni dies 366. At quia pars anni reliqua paulò minor est quadrante, erit quoque quarti anni intercalatio minor die : atque eapropter convênit, ut intercalatio fieret anno quinto, nempe postquam intercalatum esset septies vel octies.* Subjungit idem autor, وهو انما يعرف بالاستقراء وكذا اوايل سني هذا التاريخ *Quod quidem diligentiore studio ac curâ cognoscitur : atque ita quoque principia annorum hujus Chronologiæ :* exactiore, nempe, epilogismo & Anomaliæ omnis æquatione adhibitis. Si autem septimæ & octavæ intercalationis alternatio observetur ad intercalandum annum quintũ sequentem; seu, quod tantundem valet, si intercalatio Juliana modò trigesima tertia, modo trigesima septima, & quidem alternatim, prorsus omittantur; cum hoc Persico seu Gelalæo Calendario optimè concordârit Gregorianum. Hîc quippe regundæ intercalationi talis præscriptus est modus, ut in annis 400 tres negligerentur Bissexti: quò intercalationis à Persis facta emendatio quàm proximè accedit. siquidem hîc trium dierum defectus imputatur annis 412; ibi verò annis 400. quam Calendarii formam Nedamodinus, suprà allegatus autor, asserit à Persis fuisse constitutam secundùm eam anni quantitatem, quę à posterioribus Astronomis deprehensa esset. Eidẽ ferè æqualem describit Ibn Xatir Damascenus, qui annis 370

post

poſt regem Gelalæum vixit: السنة الشمسية شسه يوما وربع يوم تنقص جزء واحد من مائة وواحد وثلثين جزء من يوم بلبلته بالرصد الجديد في زماننا *Annus ſolaris*, inquit, *eſt dierũ 365 cum quadrante, minùs parte una centeſima trigeſima prima nychthemeri, juxta obſervationem novam noſtro ſæculo inſtitutam*. Ita namque fit, ut annis 393 conſurgat idem trium dierum defectus. Methodus itaque Gregoriana inter illam Perſicam, atque hanc Damaſcenam medium tenet.

Ibid. ادر *Adar* & *Adur*.] Plerique ازر *Azar* ſcribũt. Vtrunq; verò antiquis Perſis *Ignem* ſignificabat, teſte Meſûde, ſeu potius *Angelum, qui ignibus & focis præeſt*; ut Cazviniusdocet. Talis quoq; illis eſt Aredbahiſt; ſive duo revera Perſis fuerint ignis Dii, (ſicut & ignis alter cœleſtis eſt, alter elementaris) ſive unius ejuſdemq; Dei geminum nomen. Duos ſaltem indè denominârunt menſes: & quidem propterea, uti videtur, quòd Ignem præ cæteris colerent. Hinc dictum fuiſſe Zoroaſtem Texeira & alii volunt, ſcil. زرادشت *Zaradoſt*, & زردشت *Zardoſt*, quod & á Græcis *Zarades* expreſſum, quaſi ازر دوست i. e. *Ignis amicum*: quia hic religionis Magicæ, quâ colebatur Ignis, ſummus fuit antiſtes. Et indè quoque ادربيجان *Adarbigian*, provincia, partem Mediæ partemque Armeniæ complexa, nomen habet: quòd hîc poſterioribus etiam ſæculis idololatria illa maximè viguit.

Lin. 11. الكوسج *Keuſeg*.] Seu, ut alii, الكوسك *Keuſec*. Nomen hoc Arabibus, ex Perſica voce كوسه formatum, ناقص الاسنان, i. e. *edentulum* notat; Aſmaæo, Arabicæ linguæ Critico inſigni, interprete. Quis autem hoc

loco designetur ritus, verbis sequentibus, quæ apud Cazvinium aliosq; repetuntur, Mesûdes dilucidè exponit:

يخرج الكوسج فيه راكبا بغلا له بالعراق وارض العجم واهل الشام والجزيرة ومصر واليمن لا يعرفون ذلك ويطعم مدة من ايام الجور والقوم واللحم السمين وما عدا ذلك من الاطعمة الحارة والاشربة المسخنة الدافعة للبرد فيظهر طاردا للبرد ويصب عليه الماء البارد فلا يجد لذلك شيء من الم ويصيح بالفارسية كرما كرما الحر الحر وهذا وقت عيد الاعاجم يطربون فيه ويظهرون السرور وكذلك في اوقات كثيرة من فصول السنة ،

Exibat eo die Keuseg, mulo suo vectus in Assyria atque Persia: (quod nomen inditum videtur, propterea quòd Keuseg manducaret continuè, uti mox constabit, edentuli instar: vel quòd talis ferè deligeretur senex) *morem autem hunc Syri, Mesopotamii, Ægyptii, & Arabes ignorant. Eique per aliquot dies edendæ offerebantur nuces, allium, caro pinguis; quique hæc excederent, cibi & potus calidiores, frigori arcendo idonei. Et cùm ipse frigus depellere videretur, affundebatur in illum frigida: unde tamen se molesti quicquam sentire dissimulans, exclamabat idiomate Persico, Germa, Germa*, i. e. *calor, calor. Hoc autem tempus Persis festum erat, quo exultabant ipsi, atque hilaritatem commonstrabant: quemadmodum compluribus anni partium temporibus.* Persæ enim, ut gratioso ac molli ferè ingenio præditi sunt; ita festis, ludis, atque vitulationibus indulgere solent: earumque rerum gratificatione Reges populo placere. quemadmodum ex festorum Neuruz & Mihrgiân descriptione liquet. Hinc factum, ut apud Orientales *festa Persica* in proverbium abierint: uti *apparatus Persici* apud

apud alios. Sic Poëta Mutenabbis celebrat Ibn Amîd, Imperatorem exercitus Rucnodaulæ, quòd

عربي لسانه فلسفي رايه فارسية اعياده

Arabica eſſet ejus lingua, philoſophicus intellectus ejus, & Perſica ipſius feſta.

Quibus verbis principis illius facundiam, ſapientiam, & conjunctam cum liberalitate comitatem prædicat.

Ibid. ماه دي *Dejma.*] Menſem hunc Cazvinius tradit dici quoque ماه حرم *Hizm-ma*, ejuſque primum diem حرم روز; hæc addens: حرم اسم الله تعالي وفيه كان الملك ينزل عن سريره ويلبس الثوب البيض ويرفع الحجاب ويترك هيئة الملك وينظر في مصالح الناس ويخاطب كل من شاء *Hizm Dei Opt. Max. nomen eſt. Eo autē die Rex de throno deſcendebat, & albam induebat veſtem, tolliq; jubebat velum; ac regiâ depoſitâ formâ reſpiciebat populi negotia, nulli non ſe affabilem præbens.* At Dej idem notare Perſis quod Hizm paulò poſt fiet manifeſtius, cùm explicabitur nomen Hormuz.

Ibid. بهمن *Bahmen.*] Hunc idem author refert eum eſſe Spiritum, qui præſit brutis ad habitandam & colendam terram neceſſariis. Dies hujus menſis XVI Perſis feſtus eſt, & cum Neuruz & Mihrgian implet principalium trium feſtorum numerum Potior tamen feſti hujus pars celebrari ſolet nocte, ignibus paſſim exſtructis & accenſis. Quare hæc ipſa nox Perſis سذا vel سدا, & شب ساده dicta fuit; atque Arabibus, verbum verbo reddentibus, لبلة الوقود *Nox accenſi ignis*, &, ſimplici voce ſimplicem illam Perſarum imitantibus, السذق. Quam ſuâ ignium feſtivitate deſcribit ابن حجاج

Ibn Hagiâs in carmine, quo laudat regem Adlodaulam fil. Bojæ.

لیلتها حسنها عجیب بالقصف والعرف قد تحقق ،
لنارها في السماء لسان عن دوره ضوء الصبح ینطق ،
والجوء منها قد صار جمرا والنجم منها قد کان یحرق ،
ودجلة اضرمت حریقا بالف نار والف زورق ،
فاوها کلها جمیم قد فار مما یغلي ویقبق ،

Nox ejus, pulchritudine miranda, ludis & odoribus celebrata fuit.

Igni illius in cœlum lingua, præsplendore suo lucem auroræ prædicans.

Et æther ex eo versus in prunam, ipsis Pleiadibus indè ambustis.

Tigrisque edidit incendium mille ignibus & mille cymbis:

Ita ut aqua ejus universa fervida, exultârit bulliendo atq; fremuerit.

Consimili ferè modo in eandem rem lusit Poëta المطرز *Muterris* in regis Melicxæ encomio. Ab ultima antiquitate hunc ritum fuisse observatum Persis, ipsorum monimenta docent. Origo tamen & causa non ab omnibus una traditur. Nuveirius ex plurium sententia & fide, si quid in tanta antiquitate traditionibus gentis tribuendum, ad کیومرث *Cajomarts* refert (ubi کیو *dominus*, *divus* prænomen est; quod primorum Regum, ceu Patriarcharum, nominibus præfigi à Persis solet; & Marts plerisque idem, qui Mas fil. Aràm) primum Persarū patrem & regem. Eumq; ferunt ex pluribus liberis, domi suæ genitis, mares cum fœminis conjugio sociâsse, & festivis ignibus nuptias celebratas: atque indè

dè ſervaſſe Perſas ſolennem quoque ignes ſtruendi ritum, in primæ progeniei ſuæ memoriam. Alii verò indè cauſam petunt, quòd eo die Ifraſiâb Perſarum hoſtis & dominator, de quo Teixeira lib. 1. cap. xi. pulſus & ejectus fuerit.

Lin. 12. اسفندرمد *Asfendurmed.*] Perſarum plerique efferunt Asfendiarmud: &, Cazvinio aliiſque teſtibus, ita vocabant Terræ Spiritum; quique faveret fœminis bonis caſtiſque. ubi addit, hac de cauſa quintum hujus menſis diem, etiam ſuo tempore, Isfehani & in Perſia alibi fuiſſe viris fœminiſq; ſacrũ ac feſtum; & contrahendis matrimoniis, nec non pangendis fœderibus auſpicatum habitum. Cæterùm ultimum Cahanbar, de quibus ſacris diximus in Aredbahiſt pag. 24, Perſis celebrari ſolebat v diebus proximis ante Neuruz; ſive ultimis menſis hujus Asfendarmed, quando Epagomenæ non adhærerent ejus fini; ſive ipſis Epagomenis, cùm hæ illi adjungerentur. Secundum autem Cahanbar, ut de reliquis quoque dicam, initium habebat die xxv Tyrma; tertium xvi Xahrîrma; quartum xv Mihrma; quintum xi Dejma. Ita Keuxian Gilæus in Tabulis ſuis tradit. Pentamero quoque Magi ex inſtituto Zoroaſtis more ſuo laudabant Deum pro iis, quæ vel primo, vel ſecundo, vel alio quovis die condidiſſet; & ad alia atque alia grati & pii animi officia, quæ operibus illis reſponderent, homines adhortabantur.

Lin. 16. هرمز *Hormuz.*] Alii plerique ſcribunt هرمزد & اورمزد *Hormuzd* & *Ormuzd:* omnesque tradunt notare Jovem. Quod & Plutarchus teſtatur libro de Iſide & Oſiride: ubi docet Zoroaſtem tradidiſſe principium quoddam eſſe boni, & quoddam mali. illud luci, hoc tenebris

tenebris ſimile. Vtrumque autem dixiſſe Deum: meliorem Ormazam nomine, pejorem Arimanium. Ea ſecta, Arabibus الفرقة التنوية dicta, impiæ Manichæorum ſectæ, autore Mane Perſâ, Zoroaſticæ doctrinæ addicto, origo fuit. De tricenariis autem hiſce æquabilium menſium diebus, quorum nomina ſequuntur, ita habet Nedamodinus: ولما لم يكن لهم ايام الاسابيع وضعوا بازا ايام الشهور اسماء قبل انها بلغتهم اسماء الملايكة الا اورمزد ودي فانها من اسماء الله تعالي وقد رتبت تلك الاسماء على ترتيب ايام الشهور وكل يوم واقف شهرا في الاسم فهو في ذلك الشهر عندهم يوم عيد ، *Et cùm non eſſent iis Hebdomadum dies, impoſuerunt pro dierum menſium numero quædam nomina, quæ perhibentur ipſorum linguâ denotare Angelos: præter Ormuzd & Dej, quæ de nominibus ſunt Dei Opt. Max.*: ut quoque inter alia ژواش, quod planè idem eſt cum Græcorum ΖΕΥΣ Iupiter. *Et quidem diſpoſita fuerunt illa nomina juxta eorundem dierum ſeriem. Quicunque autem dies menſi alicui eſſet cognominis, eo ipſo menſe apud illos feſtus erat.* Nimirum, quoniam menſis cujuſque dies XIX dicitur فروردين روز *Ferurdîn dies*, cognominis Ferurdîn menſi, qui ordine primus eſt; idem ille XIX dies hoc menſe Ferurdîn celebrari ſolebat feſto, quod فروردين گان appellabant. Ita menſis ſecundi Aredbahiſt die tertio, qui illi cognominis, feſtum erat, indè اردبهشت گان vocatum. Eadē eſt ratio de Chordâd, die ſexto, cæteriſque ſcil. II, IV, V, VII, VIII, IX, X, XIII, & XVI, qui menſibus cognomines exiſtunt. In hiſce quoque dierum nominibus obſervandum, quod Philoſophus Xirafita ſcribit, وتكرر دي بعد كل سبعة اى ثمانية

ثمانية باسم يوم بعده نحن ديبدين اي دي بعده دين،

Repetitur autem nomen Dej post dies *septenos quosq;, aut octonos, una cum nomine diei consequentis: ut Dejbadin, i.e. dies Dej post quem sequitur Dîn*, vel *cui adhæret Dîn*. Ubi & hoc notandum, quòd cùm cætera Spirituum, Deorum nempe Dæmonumve, nomina omnia, quæ mensibus imposita, etiam sigillatim adhibeantur ad notandum mensis cujusque perticularem aliquem diem; solum Dei supremi, seu Iovis Opt. Max. nomen *Dej* non quidē separatim unum aliquem signat diem; sed nomini sequentis diei præpositum tres, nempe, Dejbadur, Dejbamihr, & Dejbadîn. Vbi B A *apud* vel *cum* notat, & compositio illa fit octavâ vel septimâ alternatim sede. Ter autem ita junctum illud nomen existimo, vel majoris reverentiæ ergò, vel, quia æquipollens nomen diei primo, mensis totius capiti, jam impositum fuerat. Nam & multitudine nominum sanctius coli Deum existimabant; ut qui nullo exprimi, nec coli satis posset. De nominibus itaq; illorum dierum, scil. secundi, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 13, 16, & 19 dicta sunto, quę de nominibus mensium modò retulimus. Quod verò ad cætera spectat, *Ma* quidem, sive *Mah*, denotat Lunam. *Suruſch* سروش الليل, *noctis custodem* seu *præsidem* dicunt, & Angelorum potentissimum: quem plerique ideo faciunt eundem cum Gabriele. Ita Cazvinius & alii Persæ tradunt. *Bahram* illis Mars est. *Asmân*, seu potius juxta alios *Asumân*, cœlum; atq; ita videtur esse Cœlus seu Uranus. *Ram* fortè idem fuerit cum Rimmon numine Syrorum; à quibus multa acceperunt Persæ. Hujus mentio fit 2 Reg. 15. & Ῥαμας Hesychio est ὁ ὕψιστος θεὸς; sed non explicatur, Saturnusne, an Iupiter, an deniq; alius. Magi illi Indorū, qui se Persis fatos profitentur, uti & Persarum religionem,

gionem, eadem festa, eadem mensium nomina hodieque retinent, asserunt Ram magni antistitis nomen esse, qui religionem universam olim restaurasset. indè illis mos est hujus nomine, *Ram Ram*, velut sacrâ formulâ, invicem benè precari. Hoc nomine XXV mensis diem insignitum habent. Non autē mirum, demortuorum regum aut antistitum, quos virtute & meritis supra hominum conditionem eminuisse statuebant, eodem quo Deos aut Dæmones honore coluisse. cum etiam horum multi ab heroïbus non differant, aut saltem ex iis superstitiosè confícti fuerint. Aliorum verò dierum interpretationem hactenus apud nēminem inveni. sed de horum originibus & denominationibus in genere antea dictum fuit. Antequam verò finem hisce imponam, ad posteriora folii præcedentis verba hæc adjecta velim: Quemadmodum mensis Aredbahist dies tertius dicitur اردیبهشت شکان; ita mensis Mihr diem XVI, ipsi cognominem, vocari مهرشکان *Festum Mihr*. Atque hoc potius modo interpretandum nomen مهرجان, de quo pag. 24 & 26 actum fuit: quàm illo, quem ex aliorum mente ibidem exhibui. Arabes enim pro litera Persarum گ, dum suum pronunciandi morem affectant, substituere solent ج: quod etiam in voce جاه pag. 27 videre licet.

PAG. V. lin. 4. توت *Thoth.*] Ægyptiorum quoque mēses Diis cognomines fuisse docet Herodotus Euterpe. Idem etiam de V diebus Epagomenis tradit Plutarchus, lib. de Iside & Osiride; & quæ illa nomina fuerint, singulatim recenset. Primum autem mensem Mercurii nomine nuncupatum fuisse testatur Cicero libr. 3. de natura Deorum. Mercurius enim Ægyptiis, ut idem illo autor

autor docet, Thoyth, seu Thoth dictus fuit: & juxta alios Theut: unde & Celtis Teutates dictus. Intellexisse verò Ægyptii videntur Hermen illum: quem Orientalium monimenta tradunt magno Mercurii Templo, qualia septem erant Planetis dicata, apud Chaldæos præfectum, graviores ob causas migrasse in Ægyptum; quæ propter acceptas artes, leges, & Sacrorum cognitionem divinis illum honoribus coluisset, velut interpretem Deorum. Hoc etiam inter cætera autores illi referunt, nomen Numinis, cujus Sacerdos extitisset, ipsi honoris ergò impositum fuisse. Sed Thoth pro illius nomine haud videntur cognovisse: tantùm ejus filium, ex pluribus natu maximum, طاط Thath appellant; qui in locum & dignitatem patris apud Ægyptios successisset.

Ibid. فاوفي *Paophi.*] De hujus nominis & sequentium significatu, cùm idonea antiquitatis desint testimonia, conjecturas non appono. Vide, si lubet, super ea Illustris Scaligeri sententiam lib. 3. de Emendat. Tempor. ubi de Thoth Nabonassari disserit. Cæterùm, quoniam autor noster genuina mensium Ægyptiorum nomina, quoad permittit linguæ diversitas, referre studet, nos etiam huic ejus instituto versionem accommodavimus. Sed eorundem nominum quædam jam Alfergani tempore ab ipsis Ægyptiis detorta fuerant in hunc modum, quo & hodiè usurpantur: 2. بابه *Baba*, 4. كيهك *Kaihac*, 5. طوبه *Touba*, 6. امشير *Amxir*, 7. برمهات *Barmehât*, 8. برموده *Barmouda*, 9. بشنس *Bashnis*, 10. بونه *Bouna*, 11. ابيب *Abîb*.

Lin. 7. بالقبطية ايوغمنا *Aegyptiacè Epogamenæ*, pro *Epagomenæ.*] Hoc nomine quinque dies, anni æquabilis appendices, peculiariter Ægyptiis vocari, & velut Deo-

rum natales agi ſolere feſtos, autor quoq; eſt Plutarchus libr. de Iſide & Oſiride. القبطية autem idioma notat Ægyptiorum veterum verorumque, ab Alexandrino, id eſt, Græco diſtinctum : ſicut القبط ſpeciatim Ægyptios antiquos & naturales; & hodie ex iis fere Chriſtianos. Ita Miſraim filius Cham ابو القبط vocatus fuit. Quin ipſum Ægypti nomen inde natum volunt: neque verò literarum *g* & *k* permutatio illis gentibus inuſitata. Coptus etiam urbs, & Coptites Nomus celebres extiterunt in extremo fere Ægypti tractu, quem poſt Alexandri Magni tempora priſci illi Ægyptii præ cæteris habitârunt; hodieque eorum inprimis reliquiæ colunt. Cum itaque ἐπαγομένοι vocem eſſe ajunt Ægyptiacam, uſum reſpiciunt, quo Ægyptiis æquè atque Alexandrinis illa familiaris erat, quoque ambo illi populi, Ægypti incolæ, Græcis Latiniſque Ægyptii, & ſubinde Arabibus aliiſq; القبط *Coptitæ* promiſcuè dici ſolent. Cæterùm Arabes, & qui eorum linguâ utuntur, quinque hoſce anni Ægyptiaci, uti & Perſici, adjectitios dies peculiari nomine النسي *NESI* indigitant. quod ab Arabibus, Paganiſmi tempore, adjectitio ſeu embolimæo menſi ſuo inditum fuiſſe ſuprà diximus: & poſtquam Ægyptii & Perſæ ab iis devicti eſſent, ad notandam Ægyptiaci Perſicique anni appendicem illam uſurpatum fuit. Ortu & natura Ægyptiacum eſſe, & apud Ægyptios proprium τῶν ἐπαγομένων, Magnus Scaliger lib. 3. de Emend. Temp. tradit. Et quidẽ νισὶ linguâ Ægyptiacâ ſonare *Sumptos*, ſive *Aſſumpticios*, Doctiſſimus, reconditâ hac etiam parte, Salmaſius mihi demonſtravit. Neq; de hac ejus origine me dubitatio tenuerit, ſi conſtaret eam inter Ægyptios illo uſu obtinuiſſe, ante-

ſe, antequam Arabica lingua ibi vernacula evaſit. Eoſdem dies Arabes generalioribus quoq; vocibus deſignare ſolent: nam præter eam, quam Alferganus hîc uſurpat اللواحق *Appendices*, etiam الزايدة *Acceſſorios* dicunt. & magis propriè المسترقة, quod *Furtivos* vel *clanculum ablatos* notat: uti & à poſterioribus Græcis πλοπιμαῖοι dicti. Poſtrema autem hæc appellatio indè videtur nata, quòd fictus fuit Mercurius cum Luna calculis ludens ſeptuageſimam cujuſque diei partem abſtuliſſe: hoc eſt, vel ex 354. diebus Lunaris anni, maximeque conſpicui, vel ex 360, qui tunc communis anni creditur fuiſſe modus, dies ſolidos quinque, eoſque ad 360 illos adjeciſſe. quæ fabula á Plutarcho in libr. de Iſide & Oſiride pleniùs commemorata hoc innuere videtur, Mercurium illum, à quo Ægyptus ſacra ſua arteſque didiciſſe dicitur, primum ac ſimplicem Ægyptiorum annum in meliorem redegiſſe formam. quippe qui in dies 360 deſcriptus, nec Solis nec Lunæ motui reſponderet.

Lin. 11. فيما مضي يوافقوا *Olim*, ſeu potius, *præterito tempore congruebant*.] Hæc quoque evincunt verum eſſe, quod ſuprà monuimus, Perſicam menſis intercalationẽ, olim fieri ſolitam, aut non apud omnes Perſas, aut non in omnibus rebus uſitatam fuiſſe. Aliàs enim haud concordare potuiſſent Perſici & Ægyptiaci anni Neomenię: ita uti Alferganus declarat. Eidem etiam rei obſtare forſan videatur diverſus in utroque anno Epagomenωn ſitus: ſiquidem non immediatè præcedunt Perſicum menſem Dej, uti Ægyptium menſem Toth. Sed diſcrepantia hæc, quæ in uno tantùm menſe accidit, haud tanti Alfergano habita fuit, ut non ſpectanda eſſe concordantia vi-

deretur. Discrimen enim hoc duntaxat fuit, quòd numeratis post Ibân Epactis Persicis, principium Adur conveniret cum VI die mensis Ægyptii Mesori, & ejusdem Adur finis cum fine Epactarum Ægyptiarum. Ita ut consequentis Toth Neomenia rursus coinciderit cum Neomenia sequentis in anno Persico mensis Dej. Ad ejus autem congruentiæ tempus cognoscendum, pertinent ea, quæ nunc sequuntur.

Lin. 14. وكذلك هو في الزيجات *atque ita se res habet in Tabulis.*] زيج & زاج vox est origine Persica, notans *amussim, quâ architectones uti solent*; atque indè *Tabulas Astronomicas*, velut ad amussim delineatas. Observavi ab Orientis Astronomis duas citari antiquiores Persarum Tabulas, alteras زيج اسفنديار, alteras زيج شهريار: sed quas nunquam vidi. Probabile autem existimo, in iis aut similibus illum utriusque anni, Ægyptii & Persici, consensum evidentem esse: quin etiam in iis, quę sub Hegiræ initium conditæ fuerunt; quando Persæ Alexandriam & Babylonem Ægypti tenuerunt decem annos: uti ex fine cap. V. libr. I. Historiæ Sarac. constat. In temporis quæsiti obscuritate facem inter alios præfert Theo Alexandrinus, qui libro suo εἰς προχείρους κανόνας, nondum edito, apertè docet, Ægyptios naturales uti anno æquabili & vago; Alexandrinos verò, seu Græcos, qui post conditam Alexandriam Ægyptum incoluerunt, fixo & intercalari: Præterea annorum illorum principia, Gemini scil. Toth Neomenias, à mutua congruentia ad eandem reverti, annis 1460 elapsis. Denique hæc addit verba: Γέγονε δὲ ἡ εἰρημένη διὰ αυξ ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπὸ τινος ἀρχῆς χρόνου τῷ ε ἔτει τῆς Αὐγύστου βασιλείας, ὡς ἐκ τούτου πάλιν

τοῦ χρόνου

τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν εἰληφήναι τοὺς αἰγυπτίους προλαμβάνειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῷ τετάρτῳ μέρει τῆς ἡμέρας, *dicta autem illa ab aliquo temporis principio per* 1460 *annos revolutio absoluta fuit anno quinto imperii Augusti*, scil. peracto, quia alibi inquit μετὰ πέντε: *ita ut ab eo tempore Ægyptii iterum cœperint antevertere quotannis diei quadrante*. Quare & apud Alexandrinos ante Augusti tempora in usu fuit annus fixus, & apud Ægyptios post ea tempora annus vagus. Et methodum idem autor tradit, quâ illi computum suum cum computo horum conferre & conciliare possent. Vbi etiam exemplo proposito demonstrat, anno Diocletiani LXVII Neomeniam Toth secundùm Alexandrinos convenisse cum 28 Chojac secundum Ægyptios. Et ne Arabes quidem, ætate multò posteriores, anni intercalaris apud Coptitas seu Ægyptios usum adeò antiquum agnoscunt. Nam Ibn Iounis, ubi de computo Ægyptiorum agit, disertis testatur verbis, & tunc eorũ fuisse quosdam, qui priscam anni æquabilis formam adhuc servarent; licet apud alios plerosque omnes intercalatio usu recepta esset. Quæ quidem arguunt, intercalaris anni formam tardius fuisse ab Ægyptiis admissam. Idque ita videtur contigisse, ut in observandis antiquis moribus remissiores facti, suam à Diocletiano computationem cum Alexandrina paulatim commutârint. Hoc autem intellectum velim de anno civili. Nam sacrum, quo Christiani utebantur, primo quoq; tempore cum Alexandrino convenisse puto: in cæteris tamen servato liberi anni usu, quem Censorinus Ægyptiorum civilem vocat. quod & hodie apud Armenios videre licet. Vt verò ad demonstrandum anni Ægyptii & Persici consensum redeamus, supponatur, exempli gratiâ, sub Iezdagirdici imperii initium,

tium, & Perſici totius finem, Ægyptiis adhuc in uſu fuiſſe priſcum anni civilis modum. Ex verbis Theonis Alexandrini, ſuprà allatis, conſtat anni vagi Ægyptiaci revolutionem contigiſſe anno V Cæſaris Auguſti, utriuſq; anni, Ægyptiaci & Alexandrini, capite concurrente in eundem diem. Qui haud alius fuerit, quam is qui totâ Ægypto anni fixi caput etiam hodie exiſtit: nempe XXIX menſis Auguſti. Ab hoc itaque die Neomenia Toth anticipando retrogradi cœpit quadriennio quoq; vertente diem unum. Quoniam autem unà cum epocha Iezdagirdis Neomenia Pheturdîn incidit in XVI Junii, ut ex ſuperioribus quoque liquet, neceſſe fuerit Neomeniam Dejma, annumeratis poſt Aban vel Adur V Epagomenis, incurriſſe in XVIII Martii. Sunt autem à V anno Auguſti ad æram Iezdagirdicam tetraërides 164; quibus competunt totidem dies, quos Neomenia Toth retroiverit, hoc eſt, à XXX Auguſti ad XVIII Martii. Quare par concordantia ſuperioribus quoque ſæculis fuerit: quibus uterque annus, & Ægyptiorum & Perſarum, eodem tenore fluxit.

PAG. VI. lin. 2. التاسع وعشرون من اب XXIX *die Ab*,] ſeu Auguſti Juliani: ejuſque die XXX, ſi quando annus Ægyptiorum eſt intercalaris. Neomenia autem menſis Toth fixa hodie ipſis quoque Ægyptiis vocatur نوروز القبط *Ægyptiorum Neuruz*, voce Perſica: hoc eſt, *Feſtum anni auſpicium*. Quando autem Neomenia Toth anni liberi ac vagi illum Auguſti diem attigerit, inter alia Eclipſes, quas Ptolemæus lib. I V. cap. ult. ex Hipparcho refert, indicium faciunt. Exempli cauſa, trium poſteriorum altera accidiſſe dicitur anno Nabonaſſari 548, die X Mechir: quod quidē tempus congruebat cum XX Martii:

ac

ac proinde Neomenia Thoth cum XI Octobris. Hinc autem ad XXIX Augusti retrò putantur dies 44. Ergo Neomenia Thoth, juxta anni Ægyptii modum anticipando huc prolapsa fuerit annis 176, id est, anno Nabonassari 724: &, cùm inter hujus & Augusti epocham differentia sit annorum Ægyptiorum 718, anno Augustæi imperii ineunte sexto. quo tempore Alexandrini anni & Ægyptiaci ἀποκατάστασιν fuisse factam ex Theone antea notavimus. Atque hinc petendam esse causam arbitror, ob quam Ægyptii hodie anni sui principium in XXIX August. defixum habent: nimirum quia ibidem habuerunt, etiam ante Augusti tempora, Alexandrini suum; qui vagum Ægyptiorum annum tandem excluſit. Neq; sine ratione caput ineuntis anni ibidem antiquitus collocatum fuit: siquidem eodem tempore Nili in Ægypto exundatio, quæ 21 Junii, jam conspici cœpta, præconio publico primùm renunciari solet, ad summum pertigisse existimatur; ut, de tota insequentis ac novi anni ubertate judicari possit. Tunc etiam, diebus 40 canicularibus finitis, امتزاج الفصلين *utriusque tempestatis*, æstivæ & autumnalis, *temperamentum* in Ægypto observant: uti etiam hodie ad eundem diem in Kalendariis notant. Quidam in ea opinione sunt, principium anni Ægyptii in die XXIX Augusti constitutum fuisse Senatus Romani decreto, quod Dio Cassius refert lib. LI. Nimirum, inter triumphales honores, qui Imperatori Augusto ob subactos Ægyptios decreti erant, etiam hoc fuisse; ut dies ille, quo Alexandria capta esset, haberetur festus, & reliquis deinceps annis numerandis initium cõstitueretur. Hunc itaq; diem conjiciunt Chronologi doctiores ipsum illum esse, de quo diximus: atque Ægyptios, intercalationis initio

indè sumpto, ultrà prisci anni terminum in consequentia progressos. Sed opinioni huic repugnare videntur ea, quæ de antiquo anni Persici & Ægyptii consensu, ejusdemque Ægyptii revolutione prodita fuerunt. Vt verò res ipsa calculo probetur, exemplum ex Ibn Iounis proponam: qui in Observationum cœlestium Historia scribit in hunc modum: كان في شوال سنة شمح للهجرة القمر منكسفا في ليلة صباحها يوم الخميس وهذا كه من اردبهشت ماه سنة شمح لبردجرد وهو يه من ايام سنة عرص لذي القرنين وهو كه من بشنس سنة خصه لدقلطيانوس وكان مقدار ما انكسف من قطره اكثر من ثماني اصابع واقل من تسع، *Mense Xaval anno* 368 *Higræ Luna Eclipsin passa fuit nocte, cujus mane erat feria quinta. Is quidem* dies erat XXV *mensis Aredbahist, anno* 348 *Iezdagirdis: hoc est* XV *dies Ijâr, anno* 1290 *Alexandri; & dies* XX *Pachon anno* 695 *Diocletiani. De diametro autem obscuratum fuit plus quam digiti octo, minus quam novem*. Quod si annus Ægyptiacus mansisset vagus, prout Persicus, utriusque principiis juxta Alfergani aliorumque tradita simul ineuntibus, debuisset XX Pachon anno illo Iezdagirdis congruere cum XX Xahriar. Sed dicitur congruisse cum XXV Aredbahist, 250 diebus post. Si itaque Ægyptiorum Toth tantum in consequentia prorepsit, intercalationibus sensim accumulatis; necesse fuerit tunc temporis ab illo ipso accrementi primordio effluxisse annos 1000. A quibus si demantur, qui elapsi fuerant, anni Diocletiani 694, & menses 8, hoc est, anni Ægyptiaci seu Nabonassaræi 695, reliqui erunt 305. & cùm epocha Diocletiani posterior sit epochâ Augusti annis Ægyptiacis 313, oportuerit veteri anno frænos

nos fuisse injectos annis octo ante Augustum. Eo autem loco Neomenia Toth tunc defixa fuit, quo postea constanter hæsit; nempe, XXIX die Augusti: qui dies secundùm authores illos ex instituto publico novâ hac anni formâ honestandus erat. At ex Ptolemæi & Theonis testimoniis, suprà allegatis, constat Neomeniam Toth veteris anni fluxu non antè attigisse illum Augusti diem, quam anno post Augustum sexto. Atque ita Epocham hanc alterum quidem tempus octo annis præcedit, alterũ verò sexto demum post anno sequitur; ubi utrumq; cum eadem concurrere debuisset. Est quoque tertium hîc considerandum, scil. sub initium Epochæ illius annum Iulianum vitio laborâsse ob pravas Pontificum intercalationes: hoc autem faciebat, ut quem Romani tunc numerarent XXIX Augusti, revera esset dies XXXI in anno castigato ac hodierno. quamobrem licet concordassent reliqua, haud tamen verisimile est Ægyptios corruptam anni formam fuisse amplexos; quippe qui verum intercalandi modum optimè nossent, & Romanos olim docuissent. Vna est via, quâ tribus hisce difficultatibus simul occurri posset: nimirum, si dicamus, Ægyptios, ut honorario illi Senatus edicto se quamprimum accommodarent, & tamen deinceps veram & constantem temporis sequerentur rationem, biduum exemisse: ita ut, cum ipsi numerarent tertiam Epagomenων, quod fiebat die Augusti XXIX vero, anni novi fixique computum auspicati fuerint. Nam hoc tantundem erat, ac si jam bis intercalassent, & simul remedium adhibuissent adversus serpentem anni Romani labem. quam etiam Romanis fortè Ægyptii plenius demonstrârunt, & tollendæ rationem tradiderunt: quemadmodum aliquot annis post in eum

finem Augustus jussit tres intercalationes omitti, quo in pristinum ordinem annus restitueretur. Hæc quidem licet speciosa esse videantur, ac scrupulis eximendis commoda: quia tamen testimoniis suis carent, minùs iis inniti velim aut possim; & priorem illam de anni Ægyptii mutatione sententiam potiorem duco. Quod autem ad Dionis verba attinet, illa hoc modo explicare licet; ut captæ quidem Alexandriæ dies in festos relatus, ac festivitate celebratus sit; & Ægypti, ab eo tempore Romanis subditæ, imperii nova epocha Augusto inscripta, unde sequentes putarentur anni. Quam ad rem non necesse fuit novam quoque constitui anni Neomeniam: neque Romani, ad quos edictum illud magis pertinebat, quam ad Ægyptios, propterea mutarunt anni sui Kalendas. Nam omni ferè ævo & genti mos fuit novæ epochæ computum ordiri à constituto semel principio ejus anni, in quo novandi tituli occasio nata esset. Ita Arabes annos Higræ seu Migrationis Muhammedicæ numerant à neomenia Muharram; licet Muhammed Meccâ excesserit die 1 Rabiæ prioris, diebus LIX post epochæ ipsius primam diem. ita quoq; in canone regnorum Ptolemaico omnium regum Epochæ digestæ sunt, & solidis cohærent annis. Hisce addendum mihi succurrit, à principio annorum Philippi usque Augusti epocham ab Ibn Iounis Ægyptio computari annos Ægyptios 294 & dies 74: qui dies respondent totidem intercalationibus, quæ à primo Toth Philippi ad primum Toth Augusti fieri potuerunt; & ab Alexandrinis revera fuisse factas probabile est. Nam & Ibn Iounis Ægyptius disertè tradit, in annis Philippi intercalationem incepisse à tertio anno: non quidem, ut interpretor ego, secundùm Ægyptios veros; sed Alexandrinos sive Græcos. Lin.

Lin. 4. تاريخ العرب *Epocha Arabum.*] Nomen hoc est à verbo ارخ *temporis titulo*, seu *adscripto tempore signavit* literas, &c. Vnde fortè vox Æra, si quærenda ejus sit origo, videatur manâsse, utpote posterioribus duntaxat ævis pro certi temporis adscriptione usurpari cœpta. Epocha autem hæc, cujus autor primo loco meminit, الهجرة dicitur, *Migratio*, & *abitus à cognatis & amicis:* quando nempe Muhammed Pseudoprophetes, sibi à Meccanis metuens, fugit Medinam. Quod illi Muhammedici imperii initium statuunt. Generaliter quidem الهجر *amici absentiam*, & contrarium الوصل τῆς συνουσίας denotat: ut in illo Valîdi Iezidæ versu:

ليل الهوي سنة في الهجر مدته لكنه سنة في الوصل ليلة في قصره

Nox amoris in absentia annus est longitudine: sed annus in amici fruitione una nox est brevitate.

Speciatim tamen ἔξοδον καὶ διωγμὸν ὑπὲρ θρησκείας. Ita in Corano & alibi المهاجرون intelliguntur, qui propter Muhammedicam religionem vel à suis expulsi erant, vel ab iis sponte discesserant. Et fortè Arabes Petræi aliique Ismaëlitæ nomen illud ab هجر *Hager* sumpserunt, primæ Matris suæ nomine: quod illa ex Abrahami familia ejecta in desertum migrâsset. Quamvis autem vox الهجرة peculiari illa significatione eam quoque exodum designet, quâ ante Muhammedis ex urbe Meccana excessum assecla illius quidam concesserant ad Habassinos: absolutè positum tamen pro eo ipso tantùm Antesignani discessu accipitur. Epochæ verò hujus usum introduxit secundus Chalifarum Omar, qui primus titulo hoc literas & diplomata signari jussit: & quidem anno ejus-

dem Epochæ demum XVIII, menſe Gjumâdâ poſteriore; uti ex Hiſtoria Sarac. Ibn Amîdi & aliunde liquet. Ante illud tempus ſimilis quoque Arabibus mos fuerat putare ſuos annos à Bellorum initiis & celebrioribus pugnis. Ita proximè ante Higram uſitata fuerat Epocha, quæ dicebatur الفجار, quaſi *Bellum injuſtum impiumque*: quippe quo ſacris menſibus, contra receptam religionem, concurrerant Keiſitæ & Kinanæi, nobiles duæ Arabum tribus. Hanc XX annis præceſſerat, quæ عام الفيل *Annus Elephantinus* dicta: quando Arabiæ felicis Rex Ibn Sahâb cum Habaſſinis, adductis quoque elephantis, venerat oppugnatum Meccam: cujus vaſtare templum cupiebat, ut ſolennia ejus Sacra, de quibus in præcedentibus diximus, Sanaam transferret, Metropolim ſui regni. Caſtra autem ille ad urbem diſpoſuit V die menſis Muharram: ejuſdemq; anni, qui novæ Epochæ nomen accepit, menſe Rabiâ priore. Octavo, juxta pleroſq;, hujus die in lucem editus fuit tenebrarum & perditionis filius Muhammed. Is ubi quadrageſimum impleviſſet ætatis annum, divino ſe ſpiritu afflari fingens novæ religionis placita tradere incepit. Meccæ quidem clanculum totos tredecim annos; at ſuis ad Medinenſes & alios emiſſis, qui diſſeminarent. donec tandem, re ad proceres Meccanos delatâ, in capitis diſcrimen adductus clanculũ ſe ex urbe ſubduxit, atque cum conjuratis arma cepit: profiteri auſus ſe ad الجهاد *Bellum ſacrum*, velut præcedenti τῷ الفجار oppoſitum, divinitus excitum eſſe: ut tandem poſt tot Prophetas & divinæ legis præcones, qui hortationibus, promiſſis & minis rem leniùs experiri juſſi eſſent, ipſe armis quoque contumaciorem hominum partem ſub jugum mitteret.

mitteret. Fuga hæc, cui ſpecioſum الهجرة *Migrationis* ſeu *Exodi* nomen prætexunt, contigit quidem, ut ipſorum Annales docent, die 1 Rabiæ prioris: ſed Higræ Epocha, quâ illi utuntur, ducitur, ut antè monui, ab ejuſdem anni principio; Neomeniâ, inquam, menſis Muharram. Hæc autem incidit, ut cum Alfergano infiniti alii Orientis ſcriptores communi conſenſu tradunt in feriam quintam: id eſt, ut Ibn Amîd, Ibn Rahib, aliique autores Chriſtiani habent, in diem xv Tamuz ſive Iulii, anno Alexandri 933, ſeu Chriſti Salvatoris 622. Europæi autem orbis Chronologi, etiam præſtantiores, defigunt Epochæ hujus principium in xvi Iulii: hoc inprimis argumento nixi, quòd Luna corniculata Arabiæ non antè conſpici potuerit: ut & ipſi æquè Arabes cognoſcunt. Et revera ſeculo illo, eoque rudiore, civiles quoque menſes haud aliter computati ab Arabibus videntur, quàm à Lunæ phaſi: quod etiam Philoſophus Xiraſita, ſuprà laudatus autor, atque alii teſtantur. Verum enimverò, cum menſes civiles paulò poſt ad præfinitam calculi & artis normam exigi cœperint; æquum & conveniens fuit ipſum totius computi primordium eidem rationi convenire: juxta quam Neomenia Muharram pertinet ad feriam quintam. Ejuſque epilogiſmi uſum ab eo tempore invaluiſſe ſimul arbitror, quo Imperator Omar, rogatus ut literas & acta publica certo temporis titulo ſignari juberet, uſum hujus Epochæ, nempe Higræ, præſcripſit. Neque enim tempus quod à phaſi petitur, certò deſignari poteſt, hominibus præſertim longiùs diſſitis, aut poſt venturis: quod tamen debere fieri & voces تاريخ & ارخ præ ſe ferunt, & res civiles ac politicæ requirunt. Aſtronomicę verò & Chronologicæ conſiſtere abſque eo neutiquam poſſunt. Sacræ autem,

autem, quia juxta Phasin primùm institutæ fuerant, juxta eandem quoque obseruari debuerunt. Neq; diuersis populis ex parua Phasium discrepantia, quæ subinde incidere possit, incommodi hîc quicquam nascitur: cùm quisque pro se suum exequatur munus, obsequutus legi, quâ se teneri agnoscit. Ex Astronomorũ tamen Arabum numero unus mihi occurrit Ibn Xatir Damascenus, cui visum fuit primã hujus epochæ neomeniam, tanquam sacram, repetere à nascentis Lunæ phasi; & à feria sacra, nimirũ sexta, annorum Higræ computum ordiri. Sed qui ante tabulas suas hoc peculiariter monet, se à recepta consuetudine desciuisse: ne disparitas illa difficultatem parere aut confusionem posset.

Lin. 7. تاريخ الفرس *Æra Persarum*.] Hanc à primo imperii Iezdagirdi, postremi regis, anno procedere Alferganus inquit: & eâ quoque parte consentientem sibi habet totum Orientem. Idem & Georgius Chrysococucs, scriptor Græcus, retulit ex ipsorum Persarum fide, ubi de eorum epocha agit: ἡ ἀρχὴ δ' ἔτους τούτου ἡμέρα τρίτη ἀρχὴ μηνῶν Φαρβαδὶν, ὁπηνίκα ὁ Γιασδακέρδης εἰς τὸν θρόνον ἐκάθισεν. A verò itaque aberrant Chronologi Europæi quidam, cum epochæ hujus initium ducunt à regis illius nece: quæ totis demum viginti annis pòst contigit, nempe anno Higræ xxxi; uti ex Almacino, Teixeira, aliisque constat.

Lin. 9. تاريخ الروم *Epocha Romanorum*.] seu Græcorum potius, juxta ea, quæ suprà de hoc nomine diximus. Non intelligendi autẽ hîc anni à primordio regni, prout paulò antè. Neque ab Alexandri morte, prout vetus Ptolemæi interpres in fine libr. iii. annos Alexandri exponit. Nam, ut Ptolemæus ejusdem libr. cap. 8. docet, à prin-

à principio regni Nabonaſſari uſque obitum Alexandri ſunt anni Ægyptii 424: ſed hanc noſtram annorum Alexandri epocham Alferganus aliique, qui eâ utuntur, epochâ Nabonaſſari poſteriorem faciunt annis 432, & diebus 326. Id ipſum autem tempus fuit, quo Seleucus revera imperare cœpit; Syriâ, Babyloniâ, & aliis provinciis ſubjugatis. Quod Euſebius libr. VIII teſtis eſt contigiſſe XII annis poſt Alexandri Magni exceſſum: unde & annos Seleucidarum ipſe ſubducit. Hoſce quidem annos Alexandri dixerunt, in ſummi ducis & victoris memoriam ac honorem: ut cui totam fortunam ſucceſſores acceptam ferebant. Quemadmodum in genere imperium illud Alexandrinum dictum fuit; & tunc demum ſolidū ac ſtabile videbatur: licet à pluribus, ſed Alexandrinis omnibus, occupatum. Hæc Epocha illa eſt, quam Judæi תקון קץ *Æram contractuum* vocant: quòd eo titulo contractus & acta olim ſignare debuerunt. Plerique autem ipſorum, & cum iis Arabes multi, propter ea, quæ ſuprà dixi, ab ipſo Alexandri imperio æram hanc conſurrexiſſe putant. Rectè tamen faciunt Judæorum nonnulli, qui à quatuor ducum imperio repetunt. Sed errant denuò, quòd hoc cum Alexandri morte conjungunt, ejuſque teſtamento illis obtigiſſe volunt: cùm Alexander nullum nominatim deſignârit ſucceſſorem; ſed duntaxat optimum: ipſiſque ducibus præhabitus fuit Philippus Aridæus. Huic ſeptem annis pòſt ſucceſſit Alexander alter: uti in Canone regnorū Ptolemæus tradit. Vnde etiam dubitatio mihi ſubinde incidit, an non æra hæc ab altero illo Alexandro, nempe imperii ejus anno quinto, deducta fuerit, & poſtea ob nominis convenientiam Alexandro Magno imputata: quod & de Epocha Philippi

lippi factum diximus. Cæterùm Alexander Magnus in Corano, & passim ab Arabibus, quod hîc etiam à nostro autore fit, ذو القرنين *Bicornis* vocari solet: non tam ob partum duplex, Orientis & Occidentis, qui Mundi cornua illis dicuntur, imperium, ut eorum plerique volunt: quàm à cornuta Alexandri effigie, nummis exhibita; ut ita quoque Iovis Ammonii filium gentes agnoscerent. A qua vel credulitate, vel servili potius adulatione, fluxisse existimo, quòd eum divino numine afflatum, & نبيا *Prophetam* Coranus vocat.

Lin. 12. بختنصر *Nabonassari.*] Ita versione errori esse occurrendum duxi. Nam Bochadnassar (Bochtenassar efferunt hodie Arabes) est per aphæresin pro Nabocadnassar. Etenim quæ de hoc Babyloniorum rege Sacræ Literæ memorant, eadem fere Arabes de Bochtenassar tradunt. Vbicunque autem in Syntaxi Ptolemaïca Nabonassari occurrit nomen, ibi Arabs interpres Bochtenassar, hujusque Latinus Nabuchodnosor habet. qui sanè etiam major ἀναχρονισμὸς eo, qui modò notatus fuit in Epocha Alexandri. Vtriusque autem hallucinationis occasionem præbuisse videntur nominum affinitas, & historiæ exoticæ neglectus.

Lin. 14. سني فيليبوس, seu, ut plerique alii scribunt, فليبس *annorum Philippi.*] Cùm epocha hæc Alexandrinam aliquot annis præcedat, Arabum aliarumque gentium quosdam hîc etiam contigit cæspitâsse; arbitratos Philippum intelligi Alexandri Magni Patrem. cùm ille Aridæus sit, Alexandri frater ἀμφιμήτωρ: cui post Alexandri mortem imperium unà cum Patris nomine ab exercitu delatum fuit. Nec malè Keuxian Gilæus eum fuisse

fuisse inquit اثور من ملوك *ex regibus Atzur*; quod nomen Chaldæis notare Babyloniam in Lexico Syriaco-Arabico tradit Isa Bar Alis; & ab אשור *Assur* desumptum fuit. Siquidem Babylone in regem ascitus esset, atq; illa imperii haberetur caput. Est autem hæc eadem epocha, quam Ptolemæus & alii ab excessu Alexandri nuncupant: nam & eodem, quo illa, à cæteris Epochis intervallo distat, & Ptolemæus in Canonio regnorum Aridæum Alexandro immediatè subjungit, nullo interposito interregni spacio. Tum etiam Censorinus, ubi epochas celebriores recenset, hoc apertè docet, inquiens: *anni Philippi, qui ab excessu Alexandri Magni numerantur.*

Lin. 13. زيج بطلميوس *Tabulis* seu *canone Ptolemæi.*] Haud dubium est, quin Autor faciles illos & expeditos canones designet, qui κανόνες πρόχειροι inscripti sunt. Quos quidem ipsius Ptolemæi esse præclarus vir Henricus Savilius, & alii, qui eos habuere, arbitrati sunt. Exemplar quod Constantinopoli ego advexi, cùm præfationis capite mutilum sit, minùs facere ejus rei fidem potest. In eosdem canones scripsit Theo Alexandrinus, quantum ad eorũ intelligentiam & usum requiri videbatur. Ideoque ipse à multis habetur eorundem autor. Inter Arabes quoque Keuxian Gilæus, cùm de hac Philippi epocha agit, disertis verbis inquit: وعلى هذا التاريخ وضع ثاون الاسكندراني اصول اوساط الكواكب في زيجه الملقب بالقانون *Ad epocham hanc designavit Theo Alexandrinus medios stellarum motus in tabulis suis, quæ Canones dicuntur.* quod si hoc verum sit, Canones illi ea de causa Ptolemaïci nuncupati fuerint, quod juxta Ptolemæi hypotheses ac epilogismos conditi sint. Ibidem autem calculo

præfixam esse epocham Philippi, Theo in prolegomenis monet: Ἐπεὶ καὶ κινήσεως ἐστιν ἀρχὴ τόπος καὶ χρόνος πεποίηται ταύτη ἀπὸ τοῦ πρώτου ἔτους Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην κατ' αἰγιπτίους, καθ' οὓς ὁ ἐνιαύσιος χρόνος ἡμερῶν τυγχάνει μόνον τξε, Θὼθ νεωμηνία τῆς μεσημβρίας, ὅπερ ἐστὶ πληρωθείσης ὥρας ἕκτης καὶ ἀρχομένης ἑβδόμης. *Postquam motus principium est locus & tempus, constitutum quidem illud est à primo anno Philippi (qui Alexandro conditori,* plurium scil. urbium pylarumque, *successit) secundùm Ægyptios, quibus annuum tempus est dierum duntaxat* 365, *meridie Neomenia Toth; nimirum expletâ horâ sextâ, & ineunte septimâ.* Nam Ægyptii, quos imitati videntur Romani, dividebant diem in horas æquales duodecim. Id autem in hac cæterisque Ægyptiorum epochis observandum, quod & Censorinus disertè monet, initia semper sumi à Neomenia Toth. Porrò duæ aliæ epochæ sunt, Ægyptiis, aliisque Orientis populis usitatæ, Augusti nempe, & Diocletiani. Illa quidem, ut antè dixi, consurgit à morte Cleopatræ: à Nabonassaræa distans, teste Ibn Iounis, Ibn Xatir, Keuxian Gilæo, aliisque, annis Ægyptiis 718 & diebus 74; initiumque capiens à feria quinta. Hæc verò procedit ab anno, quo imperare cœpit Aurelius Diocletianus, posterior illâ, Abu Maxar, Keuxian, Gilæo, aliisq; testibus, annis Ægyptiis 313 & diebus 78, incipiens à feria quarta. Hanc epocham, quæ & absolutè تاريخ القبط *Aera Ægyptiorum* dicitur, Christiani à dira persecutione, quam tyrannus ille, cùm divinos honores sibi expeteret, in veri Dei cultores inprimis, Christianos inquã, exercuisset, multis Martyrum millibus in Syria & Ægypto cæsis, postea vocârunt تاريخ الشهداء *Æram Martyrum.* Nam licet ea sævitia XIX demum imperii illius anno maximè exarserit;

exarserit: nullam tamen ipso Æræ usu temporis differentiam Christiani spectant: ut ex Historiæ Saracenicæ aliisque exemplis liquet: ac si Christiani imperium illud, seu potius illius imperii æram, non tam impii Persecutoris nomine, quam celeberrimi Martyrii titulo, velut sibi glorioso, insignire voluerint. Sed cùm dictum sit Ægyptiorum æras semper deduci à Neomenia Toth, mirum videri posset, quare duæ hæ epochæ aliud præ se ferant; quippe ab aliis proximè præcedentibus distantes non absoluto annorum numero, sed insuper aliquot diebus. Notandum itaque, eam computi rationem ibi adhiberi, quam ab Alexandrinis sive Græcis observatam diximus, computi nempe Iuliani, seu intercalaris. Nam cùm æra Augusti à Nabonassaræa differat annis Ægyptiis 718 & diebus 74; posterior fuerit ærâ Philippi, à quo tempore Græci & Alexandrini in Ægypto sedem & imperium fixerunt, annis Ægyptiis 294 & diebus 74: siquidem Ptolemæus sub lib. III. finem docet inter excessum Alexandri, quæ & æra Philippi est, ad principium regni Augusti esse annos Ægyptios 294. Atque iisdem respondent 74 illi dies, ut ex Ægyptiis annis conflentur totidem Græci sive Alexandrini, qui præ illis sibi vindicant diei quadrantem. Quamvis autem à primordio æræ Philippi supra illos annos Ægyptios lapsi essent Alexandrinis revera dies tantùm $73\frac{1}{4}$; quoniam juxta hosce intercalationis initium, uti Ibn Iounis tradit, incidit in Epochæ illius annum tertium; integros tamen dies assumi, scil. 74, vero proximos, consentaneum fuit. Eodem modo res sese habet in æra Diocletiani seu Martyrum: nam 78 intercalarii dies debentur 313 annis Ægyptiis, ut hi ipsi transeant in Græcos. At verò Ibn Iounis & Ibn Xatir

inter epocham hanc & præcedentem Augusti interponunt dies 114248, hoc est, annos Ægyptios 313, & dies tantùm 3; ac proinde initium ejus conferunt in feriam sextam: asserentes hoc epochæ utriusq; intervallum obtinuisse apud pleroſq; اهل مصر *Ægyptios* sive *Cairenses*, inprimis Christianos. Non potuit autē tempus hoc deduci ab initio anni, quo Diocletianus imperare cœpit, ita uti apud Ægyptios alioſq; Epochæ aliàs instaurari solebant: sed forsan, prout Ibn Iounis inquit, من اول ملكه *à principio ipsius regni*. Vel dicendum, triduì illum supra 313 annos Ægyptios excessum provenire ab Ecclesiæ Græcæ, nempe Antiochenæ, usu ac more: quæ hosce annos Martyrum, sive Gratiæ putabat à kalendis Septembris: à quibus, ceu temporis omnis initio, illa deducere solebat computum sacrum, nimirum annos Mundi. Hujus itaq; Ecclesiæ epocham Ægyptii posteriores, Christiani inquā, in eo respexisse videntur: & quidem inprimis Iacobitæ; qui hoc forsan à Iacobo suo Syro, ejusque assecłis, ab Antiochena Ecclesia digressis, accepêre. Ut verò horum omnium tempora conferri, & epilogismi commutari possint, intercalationum primordia in Epocha quaque, ubi illæ Græcis vel Alexandrinis usitatæ fuerunt, designanda sunt. In tribus itaque æris, nempe Philippi juxta Græcos, Alexandri, & Diocletiani, prima intercalatio incidit in annum tertium: quemadmodum Ibn Iounis aliique tradunt. Sed apud neminem de æra Augusti præceptum vidi: res tamen per aliarum connexionem definiri potest. Nam cùm in epocha Philippi intercalari cœperit anno tertio, & ab hac ad Augustum anni sint 294; liquidò constat intercalationem quartam & septuagesimam incurrisse in annum Augusti primum. quod ipsum

quoque

quoque computi Ægyptii atq; Alexandrini χρονικὰς περιόδους convincit; de qua in superioribus ex mente Theonis diximus: nempe, contigisse eam expleto anno Augusti quinto. Non potuit verò ea contigisse aliter, quàm cùm anni Alexandrini finis uno die ob intercalationem protractus cum fine anni Ægyptii conveniret. Igitur anno Augusti quinto, & quidem juxta intercalationis Ægyptiacæ morem eo peracto, intercalatum fuit: ac proinde etiam primo.

PAG. VII. lin. 8. مثال الكرة على *Circularis.*] ad verbum, *sphæræ similis*, σφαιροειδὴς. At quemadmodum Græcis σφαιροειδὴς καὶ κωνοειδὴς non semper *sphæræ & cono simile*; atque hinc peculiariter *solidum Ellipticum & Hyperbolicum* notat, velut de iis librum suum Archimedes inscripsit: sed plerunque idem valet quod σφαιρικὸν καὶ κωνικὸν, *id quod revera sphæricâ vel conicâ figurâ constat*: ita quoque apud Arabes مثال الكرة على vel idem est quod كري *perfectè sphæricum*, uti hoc loco: vel strictæ significationis, *quod ad sphæricam figuram proximè accedit*: uti capite sequenti.

PAG. VIII. lin. 6. الجدي Arabibus *Hædus* est; &, quod sequitur, الفرقدان *Vituli duo.*] Nomina, quæ prisci olim Arabes indiderunt stellis, non à mirabilium rerum historia aut fabulis petita sunt, quemadmodum apud Græcos: sed ab obviis & familiaribus rebus. qualia etiam hæc duo sunt: unà cum aliis desumpta à re pecuaria, cujus illi apprimè studiosi erant. Ita quoq; nomen sequens بنات نعش (quidam, præsertim Poëtæ, بنو dicunt) *filiæ* vel *filii feretri.* Nam quas Latini Septentriones vocârunt, illi assimilârunt feretro: ita ut Græci currui, cum

dixêre

dixêre ἅμαξαν. Et quia utriusque Arcti 7 stellæ situm haud dissimilem habent, Arabes eodem nomine appellârunt, نعش الكبري والصغري *Feretrum majus, & minus:* in genere quidem totum 7 stellarũ Asterismum; peculiariter verò quadrangulum utriusque: & ternas, quæ utrobique Ursæ caudam constituunt, *filias* vel *filios feretri*, qui nempe feretrum, velut in exequiis fit, præcedunt. est enim propriè نعش *feretrum cum cadavere sublatum* in humeros, ab *attollendo* ita dictum; aliàs, cum non impositum est funus, simpliciter سرير nominatur.

PAG. X. lin. 11. الكثير الرطوبة *multi & humidi.*] ad verbum *multi humiditate*, id est, *admodum humidi.* quæ versio genuina, & illi præferenda. Id autem hyeme, & post pluvias ait potissimum evenire; propterea quod in calidioribus illis Terræ plagis, delapsi humoris pars resolvi paulo pòst, atque ita sublata iterum à frigore in vaporem verti cogique solet. & multis locis hyemes vix aliud sunt, quam pluvius imbricusque cœli status. Ita & Arabibus Africanis aliisque الشتاء, quod *hyemis* nomen est, vulgato usu quoq; *pluviam* notat: nec aliunde suum Latinis hyems, & Græcis χεῖμα videntur nata.

Lin. 16. كلما صفا *Quo densior.*] Ipsa quidem verbi hujus significatio est, *quo clarior est & limpidior.* Sed cùm puritas claritasq; medii faciat non tam ad rei visibilis speciem augendam, quàm ut ea purior modò ac distinctior transmittatur; augmentum verò petendum potiùs videatur à medii densitate: veritati & Autoris menti verba utcunque accommodata sunt, ac si كثف scriptum fuisset.

PAG. XI. lin. 10. من قبل الاحداث] Si pressiùs insistendum

ſtendum verbis, dicendum fuerit *ex obviis & manifeſtis rebus*. Ita Gjeuharæus loquitur رايته قبلا اي مقابلة وعيانا *vidi illud coram*, ſeu *apertè & palam*. Poteſt & πρόλημψιν notare, temporis nimirum, quo obſervationum altera alteram prævertere videtur.

Lin. 13. البلدين *Duobus locis.*] Sed peculiariter *habitatis & cultis*, ut urbs, pagus, , &c: unde Geographia تقويم البلدان dicitur.

Lin. ultim. كوكب انقضاض] Eſt exhalationis in ſumma aëris regione trajectio; quę exhibet *ſtellæ caſum*. Aliàs privâ voce الشهاب dicitur. Notat autem انقضاض peculiariter *ruinam* & *caſum præcipitem*. Et tunc malũ aliquem dæmonem expelli cœlo ac dejici credebant Arabes pagani. Indè illis natũ hoc nomen, quia ita cadere videtur: vel ab immenſa celeritate. Et quidnam aliud, ex eorũ numero, quæ non κατ' φαντασίαν, ſed καθ' ὑπόστασιν apparent, ortus ſui & interitus brevius momentum habet? niſi fortè fulmen, aut pulveris nitrati flamma: ſed & illud meteorum ad hæc referri poteſt. Plinius *ſtellæ diſcurſum*, uti Ariſt. διαδρομὴν, vocavit: Nam & cadere, & excurrere in latus, quin & aſcendere, conſpicitur; pro diverſo materiæ, quæ accenditur, ſitu ac impulſu. Ariſtoteles alibi ἄστρου ῥύσιν *ſtellæ fluxum*, & quaſi continuatam dicit extenſionẽ, ut quæ conſpiciatur tota ſimul. Namq; ut Seneca deſcribit, *velut igne continuo totum iter ſignat: quia viſus nocti tarditas non ſubſequitur momenta currentis; & videt ſimul unde exilierit, & quò pervenerit.* Vide Ariſt. libr. 1. Meteor. cap. 1. ubi ἀστέρας διαττοντας nuncupat, & haud diſſimili modo gigni putat, atque candelæ extinctæ fumus à proxima ardente concipit flammam: &

Senecam quæst. Nat. libr. I. cap. I. & III. ubi *volantia sidera* nominat cum Poëta. Porrò μετέωρον sive Meteorum hoc probandæ hypothesi, de qua Autor agit, minùs idoneum videtur: tum quòd ex præstituto à pluribus observari nequit, ut quod certum & periodicum ortum non habet; tum quòd, etiamsi casu è diversis locis spectetur, non potest eorum nisi exiguum admodum esse intervallum. Nam si supremam aëris regionem, ubi exhalatio illa accenditur, statuamus 4 milliariumaltitudine abesse ab horizonte; locorum, undè spectabitur, distantia 10 gradus non excesserit, hoc est, temporis utrobique notati discrimen pertingere nequierit ad $\frac{1}{5}$ unius horæ.

PAG. XVIII. lin. 10. المتحن *Probatam*.] propriè *experimento comprobatam accuratamque*. Nam محنة *experimentum* est, & *examen*: quemadmodum & vulgari dicto fertur, عند الامتحان يكرم الرجل او يهان *facto periculo magni æstimatus vir, aut vilescit*. Fuit autem Almamon ille, ab Alfergano celebratus, Chalifa, id est, regni Arabici post Muhammedem Imperator, XXVIII: de cujus vita extant apud nos quædam lib. II. cap. VIII. Histor. Saracen. in Oriente autem commentarii singulares & luculenti complures. Nam Abbasidum, qui imperio maximè florenti præfuerunt, vix quisquam extitit illo doctior, aut liberalior, quive literarum & artium studiis impensiùs favit. Inter cætera quoque solertioribus Mathematicis convocatis (quod per اجتمعت noster denotatum vult) Astronomiam instaurari jussit. Vnde & variæ prodierunt rerum cœlestium tabulæ. Inter eas fere præcipuæ sunt الزيج المتحن *Tabulæ Probatæ*, autore Iahja fil. Abi Mansor: ita dictæ, quòd novis observatis, ceu certis

certis experimentis, veterumque cum iis factâ collatione, fundatæ essent : & autore Habas fil. Abd allæ, القانون الممتحن *Canon Probatus*; itemque الزيج المأموني *Tabulæ Mamonicæ*, pro quo in Hist. Sarac. loco citato perperam legitur الريح المأموني *Ventus Almamonis*. Et quidem eo major hinc ad Almamonem gloria redundavit, quòd in novo illo imperio ipse ferè primus rem tentâsset. adeoque ea genio illius gentis placuit, ut sequentibus sæculis vel triginta Reges hoc exemplum æmulati fuerint. At verò non omnia, quæ auspiciis ejus cœpta erant, ipse absoluta vidit: pleraque tamen non alii, quàm ipsi, inscripta & imputata fuerunt. Idem fortè sentiendum de eo videatur, quòd obliquitatem Zodiaci noster ait Almamoni observatam 23. gr. & 35. minutorum. Nisi dicamus, Alfergano quidem scriptum tantùm fuisse min. 33; quod & in antiqua versione est, centum abhinc annis editâ Norimbergæ: sed postea à Scribariis vel aliis substitutũ fuisse 35; qui numerus post Almamonis excessũ à pluribus observatus, & vulgò receptus esset. Qua quidẽ de re, aliisque ad hunc locum spectantibus, fortè gratum fuerit audire Orientales ipsos. Inter cæteros Ibn Iounis, ubi de summa Declinatione agit, post explicata observata Veterum prosequitur in hunc modum: فاما ما وجده اصحاب الممتحن في ارصادهم القريبة من عصرنا فان يحيا بن ابي منصور وسند بن علي والعباس بن سعيد الجوهري وطايفة من اهل العلم والفضل اعتبروه ببغداد في ايام المامون بالشماسية فوجدوه كج لج، ذكر ذلك محمد بن موسي الخوارزمي عنهم ومحمد بن كثير الفرغاني في كتابه في عمل الاسطرلاب والامر

والامر مشهور وذكر الراصدون بدمشق بعض موت يحيا بن
اي منصور بالالة التي كان امر باتخاذها المامون حين توجه
الى بلاد الروم وهم خالد بن عبد الملك المروروذي وابن
الطيب سند بن علي وعلي بن عيسى الاسطرلابي وغيرهم انهم
وجدوا الميل الاعظم كج لج نب وكان القياس بهذه الالة في سنة
مرا ليزدجرد ، وذكر بنو موسى بن شاكر انهم قاسوا ارتفاع
الشمس نصف النهار عند دخولها اول الجدي بمدينة السلام
وذلك في نصف نهار يوم الخميس الثالث من الخمس اللواحق
بعد ابان ماه سنة ركز ليزدجرد فوجدوا ارتفاعها المصحح لج
ه وكانت الشمس ادراك في دايرة نصف النهار بحساب
الممتحن في القوس في كط مز وكان هذا الارتفاع بالحلقتين
المتخذتين للقياس سوا وذكروا ان لهم قياسا قبل هذا القياس
في اول الجدي موافقا له وذكروا انهم قاسوا ارتفاع الشمس
عند نزولها اول السرطان وهي في دايرة نصف النهار اول
يوم من خرداد ماه سنة ركج ليزدجرد فوجدوها عر يه وكانت
الشمس يومية في دايرة نصف النهار في السرطان ي دقايق
وهذان القياسان في دارهم الذي على الجسر بمدينة السلام
فاذا نقص اقل هذين الارتفاعين عن اكثرهما بقي مز ي
وهي ضعف الميل الاعظم فاذا نصفناها كان نصفها كج له وهو
الميل الاعظم بما اوجب هذان القياسان ويكون عرض موضع
الجسر الذي بباب الطاق من مدينة السلام لج كه ،

Quod

Quod autem ad ea ſpectat, quæ Probati operis (Aſtronomiæ ſive Supputationis) *autores obſervatis ſuis, ſeculo noſtro vicinis, deprehenderunt; equidem Iahja fil. Abi Manſor, Sened fil. Alis, Abbâs fil. Saïdi Gjeuharæus, pluresque alii docti & præſtantes viri operam ei* declinationi inveniendæ *diligenter navarunt Bagdadi in Ximaſia*; (quaſi Diaconatum dicas: nam ita vicus hic, in edita maximè urbis parte ſitus, denominatus fuit à Diaconis quibuſdam Chriſtianis; qui ibidem ſedem & reditus ſuos videntur habuiſſe.) *inveneruntque eam* XXIII *grad. &* XXXIII *minut. Hoc quidem de iis refert Muhammed fil. Mouſæ Choraſmius, & Muhammed fil. Ketiri Ferganenſis in libr. de Aſtrolabii fabrica & uſu. Quæ quidem res eſt paſſim nota. At illi, qui poſt obitum Iahjæ fil. Manſor obſervarunt Damaſci, organo, quod Almanon adhiberi præcepiſſet, tunc cum duceret in Græcos exercitum, nimirum Chalid fil. Abdi-Lmelic Mervarudus, Abu-'ltybus, Sened fil. Alis, & Alis fil. Iſæ Aſtrolabius*, ſive *organopæus, & alii, compererunt declinationem ſummam eſſe* XXIII *grad.* XXXIII *min.* LII *ſecund. Atque ea quidem dimenſio organo hoc facta fuit anno* 201 *Iezdagirdis. Prodiderunt autem Filii Mouſæ fil. Xakir,* (erant illi tres germani fratres, Muhammed, Ahmed, & Haſen, cui ſumma in promovendis diſciplinis & diligentiâ & liberalitate magnam nominis ſui claritatem conſecuti fuerunt) *obſervatam à ſe Bagdadi fuiſſe altitudinem meridianam Solis ſub ingreſſum ejus in Capricornum; meridie, inquam, feriæ quintæ, diei tertiæ* V *Epagomenωn poſt Aban Mah, anno* 337 *Iezdagirdis: ac inveniſſe altitudinem ejus emendatam*, ſecundū paralaxin puta, 28 *gr. &* 5 *min. eratque tunc Sol in meridiano exiſtens, juxta calculum Probatæ* Aſtronomiæ, vel Supputationis, *in* 29. *gr.* 48. *min. Sagittarii. & deprehenſa*

fuit altitudo hæc duabus adhibitis armillis una eademq;. Quin & hoc addunt, aliam à se antè habitam fuisse observationem in principio Capricorni, quæ cum hac ipsa concordârit: ajuntque se observasse Solis meridiani altitudinem ـــ, cùm ingrederetur Cancrum, primo die Chordad Mah, anni 338 Ieʒdagirdis; ac comperisse 80 grad. 15. minut. erat autem tunc Sol meridianus in 10 min. Cancri. Quæ ambæ dimensiones institutæ sunt domi ipsorum in supra pontem Bagdadi. Quare minore altitudine à majori subtractâ, relinquuntur 47 grad. 10 minut. duplum Declinationis summæ; & factâ bipartitione erit dimidium ejus 23 grad. & 35 minut. ipsa nempe Declinatio maxima: prout duæ hæ observationes evincunt. Erat autem latitudo loci ejus Pontis, qui est ad Portam urbis Bagdadensis Tacam cognomine, 33 *grad.* 20 *min.* Notat autem Arabibus طاق inter alia, teste Iacûto Hamatæo, بناء معقود *Opus firmum & præsidiarium.* Talia hoc nomine Bagdadi plura extructa fuerunt; ut sunt طاق العطريف, طاق الحراني & طاق العكي, ab autoribus suis ita cognominata. Hîc autẽ, absolutè positũ, intelligitur طاق اسما, ita dictum ab *Asma* filia Almansoris Imperatoris; de quo Hist. Sar. libr. II. cap. III. Extructum hoc opus fuit ad Orientalem Tigridis ripam, eamque urbis Bagdadensis partem ـــ, quam الرصافة vocabant. Indè nomen hæc porta habet, quæ pontem illum excipit. Hæc quidem nullum indicium faciunt, minuta illa xxxv ab Almamonis Mathematicis, sive vivo ipso, sive mortuo, observata fuisse. Nam Mousaïdæ illi auspiciis impensisque propriis omnia exequuti sunt, & ad proprii nominis laudem: illustri Imperatoris exemplo forsan excitati; at unde causa, justa saltẽ, peti nequit, quare huic inventa illorũ adscribantur. Verùm Ibn

Iounis

Iounis paulò pòst eodem loco subjungit, واما احمد بن عبد الله حبش فانه اثبته في زيجه الممتحن الذي سماه القانون في موضعين اما في جدول الميل اثبته كج له واما في جدول التقويم فاثبته كج لج وكان ينبغي ان يكون واحدا، *Quod autem spectat ad Ahmed fil. Abdallæ Hábasum*, qui ex Astronomis Almamonis unus fuit, *ille utiq; præfinit eam*, Declinationem summam, *in tabulis suis Probatis, quas Canonem vocavit, duobus in locis: in tabula quidem Declinationis posuit* XXIII *grad.* XXXV *min. in tabula verò Directionis constituit eam grad.* XXIII, *min.* XXXIII: *cùm oporteat esse unam & eandem.* Atq; hinc fortè est, quòd Alferganus in tractatu de Astrolabio ex observatis illis Mamonicis refert XXXIII; quod adducta modò Ibn Iounis verba docent; in hisce verò Elementis videtur præhabere XXXV, sequutus posterioris observationis, ejusque continuatæ experimenta. Quam eandem Obliquitatem Ibn Xatir quoq; Almamoni adscribit. & postea multi alii observarunt; ut sunt Mahánis, Tabit fil. Coræ, Muhammed fil. Gebar Betanæus, vulgò Albategnius, & ipse Ibn Iounis.

PAG. XX. lin. 18. سمت الراس] Culmen cœli in Astronomorum schola Barbarè & corruptè *Zenith* dicitur: litterâ *m* in duas, *n* & *i*, divisâ à scribariis. Nam *Semt* scribendum, quod hîc exprimitur. Ea autem vox propriè *tractum* vel *viam* notat; & cum adjuncto *tractum* seu *punctum verticis*. Ita quoque النظير *Nadir* dicitur cœli tractus *Oppositus*, scilicet سمت الرأس *vertici*: qui etiam سمت القدم *tractatus pedis* vocari solet.

PAG. XXX. lin. 16. بالذراع السودا *Cubitis Regiis.*] seu

seu ad verbum, *Nigris*. Antequam hoc mensuræ genus exponam, dimensionē mandato Almamonis institutam, cujus autor noster hîc meminit, Abulfedæ verbis enarrare operæ pretium fuerit. Is in prolegomenis ad تقويم البلدان *Geographiam*, postquam Veterum & Ptolemæi mensuram exposuit, ita prosequitur: ثم قام بتحقيقه طايفة من الحكماء المحدثين في عهد المامون وحضروا بامره في برية سنجار وافترقوا فرقتين بعد ان اخذوا ارتفاع القطب محررا في المكان الذي افترقوا منه واخذت احدي الفرقتين في المسير نحو القطب الشمالي والاخري نحو القطب الجنوبي وساروا علي اشد ما امكنهم في الاستقامة حتي ارتفع القطب للسايرين في الشمال والحط للسايرين في الجنوب درجة واحدة ثم اجتمع عند المفترق وتقابلوا علي ما وجدوا فكان مع احديهما ستة وخمسون ميلا وثلثا ميل ومع الاخري ستة وخمسون ميلا بغير كسر فاخذ بالاكثر وهو ستة وخمسون ميلا وثلثا ميل، *Postea assequendæ ejus rei veritati operam navârunt tempore Almamonis ex Philosophis recentioribus complures: qui jussu illius convenerunt in deserto Sinjar.* ita denominatur ab urbe Mesopotamiæ, quæ australior Nisibi, sita ad radices montis, tridui fere itinere distans à Tigri occasum versus: eodem nomine & regio & mons vicinus dicuntur. Gen. cap. x. & alibi in sacris literis est Sinaar, & in Ptol. Singara. *Et divisi in partes duas, postquam accepissent accuratè poli elevationem in loco unde digressi fuerunt, pars altera quidem instituit iter polum borealem versus*, nempe Chalid fil. Abdo-Imelic Mervarudius cum aliis Mathematicis; *altera verò polum australem versus*, nimirum Alis fil. Isæ cognomine الاسطرلابي *Astrolalicus*, cum viris aliis peritis.

peritis. *Et profecti sunt juxta summam, quoad potuit fieri, rectitudinem:* (erectis nempe & successivè promotis, ut quidam autores disertè referunt, ternis signis, quorũ extremũ unum officeret alteri medioq;) *donec euntibus in septentrionem attolleretur polus gradu uno; incedentibus verò in austrum, uno item gradu deprimeretur. Deinde loco, unde prius discesserant, congressi, cõtulerunt inter se quæ deprehendissent. Erantq; aliis quidem milliaria sex & quinquaginta cum duabus tertiis; aliis verò totidem sine fragmento. At quantitatem assumpserunt majorem, nempe milliaria* LVI, *& duas tertias.* Qualia verò milliaria intelligenda sint, Alferganus, qui haud multò post vixit, exactè distinguit; cum inquit singula cubitis æquari quater mille; & cubitis quidem, quæ peculiari nomine dicebantur Nigra. Sed quænam hæc fuerint, Geographi, aut alii scriptores, qui dimensionis enarratæ meminerunt, mihi quidem visi, haudquaquam exponunt. Idipsum tamen liquet ex opere Geodætico autoris anonymi, sed docti atque accurati; unde ego cùm in Oriente agerem, fortè quædam excerpsi. is de Geodætarum mensuris scribit in hæc verba: فهي الات المساحة ثلاثة الذراع والقصبة والاشل اما الذراع فهي المعروفة بالهاشمية وعرفت بالملكية ايضا سميت بالملك لانها وضعت في زمن الفرس فنسبت الى ملكهم وعرفت بالهاشمية لان الايمة من بني هاشم رحمهم الله تعالي يستعملونها في المساحة فنسبت اليهم وهي ذراع وثلث ذراع بذراع اليد العادلة وذراع اليد ست قبضات كل قبضة اربع اصابع وهي المسبحة والوسطي والبنصر والخنصر فتكون اربعة وعشرين اصبعا كل اصبع ست شعيرات مضمومات متلاقية البطون والظهور كل شعيرة ست شعرات من شعر البردون والذراع الهاشمية ثمان قبضات وهي اثنان ثلاثون اصبع، واما الذرع السودا

فهي التي يذرع بهـا البر واراضي العقار بمدينة السلام بغداد
ويحسبون كلماية ذراع مـن الارض مكسرة سهمـا وسميت
بالسودا لان الاذرع اعتبرت بحضرة المامون رضي الله تعالي عنه
فلم يكن اطول من ذراع خادم له اسود فامر باسمالهـا وهي
ستّ قبضات وثلث اصابع وهي سبعة وعشرين اصبعـا، واما
القصبة وتسمي الباب فهي ستة اذرع بالذراع الهاشمية وهي ثمانية
اذرع بالبد العادلة وهي سبعة اذرع وتسع ذراع بالذراع السودا،
واما الاشل فهو حبل طوله ستون ذراع بالذراع الهاشمية كانوا
يمسحون بهـا في زمن الفرس وجعلوا عوضه سلسلة احترازا
من الظلم لان الحبل اذا يبس طال واذا ندا يقصر،
Instrumenta Geodæsiæ tria sunt: Cubitus, Canna seu *Pertica, & Scænum* seu *Funis. Cubitus quidem ille Haxemius dicitur; atq; etiam Regius, quia tempore Persarũ institutus, & ab eorum Rege denominatus fuit. Haxemius autem appellatur, quòd Haxemidarum piæ memor. duces eam adhiberent ad Geodæsiam: unde & ab iis nomẽ obtinuit. Valet ille manus justæ,* ut vocant, *cubitũ unum, & trientem. Continet autem hic Manus cubitus pugnos* seu *palmos sex: palmus quisque digitos quatuor: nempe indicem, medium, annularem & auricularem. unde conficiuntur digiti quatuor & viginti. eorum singuli æquantur granis hordeaceis sex, crenarum atque dorsorum mutuo contactu applicatis: horum autem singula senos æquant pilos setaceos*, ipsâ nempe lateris sui, juxta quod ita disponuntur, latitudine. *Atque ita Haxemius erit palmorum octo, seu digitorum triginta duorum. Cubitus autem Niger ille est, quo mensuratur byssus, & pretiosæ merces in civitate Pacis* (nomen hoc Imperator Almansor imposuit juxta Histor. Sarac. libr. 2. cap. 3.) *Bagdad. Centena quoque cubita terræ quadrata pro Sorte*, i.e. jugeri scrupulo, *habent. Et Niger cognominatus fuit, propterea*

pterea quod cubitorum omnium modulis coram Almamone glor. mem. expensis, haud existebat ullus major, quàm servi cujusdam ipsius Nigri, i. e. Æthiopis. *Itaque Imperatoris mandato ille ad usum adhibitus fuit, continens palmos* VI, *& digitos* III, *id est digitos* XXVII. *Canna* seu *pertica*, *quæ & Bab*, i.e. Portæ *nomen habet* (fortè quod urbium portæ ad hanc quasi altitudinem extolli solent) *est cubitorum Haxemicorum* VII; *qui sunt manus justæ cubiti* VIII; *& cubiti nigri* VII *cum parte nona. Denique schœnum* seu *funis cubitorum Haxemicorum* LX; *cujus mensuræ usus obtinuit tempore Persarum. In ejus locum substituerunt catenam: quo caverent, ne cui injuria fieret; propterea quod funis siccescens extenditur, humescens verò contrahitur.*

PAG. XXXI. lin. 7. مكسرا] Utuntur voce hâc plerumq; Geometræ, cum superficiei vel corporis capacitatem, ductis in invicem dimensionibus collectam, mensuræ numero exprimunt. Cùm aream, تكسير المسطح est; cùm solidum, تكسير الجسم. Ita quoque ذراع مكسرة modò *cubitum quadratum* notat, modò *cubitum*. Verbum ipsum propriè est *in partes frangere*. Causa autem, cur huc translatum, videtur esse, quod capacitas illa haud meliùs repræsentari potest, quàm ipsis spaciis in frusta quadrata, vel cubita divisis; vel, quòd, multiplicatis in se dimensionum quantitatibus, facti partes earundem partibus numerosiores produci solent. Ita cùm Iugerum dicitur pedum esse 28800: plures utique exprimi partes videntur, quàm si definiatur longitudine pedum 240, latitudine 120.

PAG. XXXV. lin. 14. مدينة ملك الصين *Sinarum urbs Regia*.] Ea Geographis Arabum & Persarum pleriſque

risque est proprio nomine نحو : sed quòd incertâ prorsus scripturâ repperi. Si نخو vel نخو scribatur, duæ videbuntur indicari urbes, *Nanchinum* vel *Pechinum*, summâ curiâ & regiâ sede etiam hodie illustres: sed quæ sitæ extra climatis hujus terminos. Si pingatur نجو videbitur innui opulentum regnum *Pegu*, cui & cognominis urbs, Sinensi proximum, & hoc ipso olim forsitan comprehensum. neque diversa adeo utrique genti corporis forma & indoles, ut non una censeri possit. Arabibus Indiæ terminos navigando prætervectis primùm occurrebat Pegu; & propter magna commercia, ibidem exerceri solita, id nomen ubique innotuit. Alii verò scribunt نجو; atque ita more suo videntur Arabes expressisse, quæ vulgo *Quanci* dicitur, regis solio non indigna. Hanc Europæi peritiores eodē loco ponunt, quo Astronomi & Geographi Orientales suam نجو. Abulfeda videtur scripsisse نجو : quæ fuerit *Iamçeu*, urbs regni hujus nobilissima. Celebrantur quoq; Nangan & Taichon: quæ non malè iisdem Arabum characteribus exprimuntur in نجو & نخو. Et Abulfergius suo tempore, 350 quasi anno Higræ, Tachonē urbem regiâ sede eminuisse refert: idq; ex fide Monachi Negjeranensis, qui cum aliis à Patriarcha suo illuc missus fuerat. Quodcunq; horum, nempe, quatuor posteriorum, eligatur nomen, Autoris mentem & propositum utcunq; assequemur: ut qui primam climatis hujus partem locis celebrioribus designatam voluit. Et licet nunc contra expulsos Tataros regia fixa sit in boreali tractu; olim tamen alibi, & quidem in tam vasto regno plurifariam, extitisse potuit.

Ibid.

Ibid. اشفترا *Aſphetira*..] Nuſquam alibi apud Arabes hoc nomen mihi occurrit: ſed nullus dubito quin ſit Aſpitra Ptolemæi; ſolâ *ph* ſubſtitutâ pro *p*, quâ Arabes carent, & diviſis *r* & *t*, quas ita junctim efferre illis inſolens. Hujus nominis fluvium & oppidum deſcribit Ptolem. cap. 3. lib. 12. Geograph. in receſſu ſinus illius, qui Sinenſe regnum dirimit ab India extra Gangem, prope Martavam. Quod hîc optimè quadrat: ideoque rectè dicitur مرفا الصين *ναύσταθμον, ſtatio navium, Sinenſium.* eſt enim ارفا السفينة *navem adduxit ad litus*; &, abſolutè poſitum, *confugit, recepit ſe.*

Lin. 15. بلاد الهند ثم بلاد السند *Indiam, deinde Sindiam.*] Hind & Sind ſunt populorum nomina; quos Arabes duxiſſe genus, & accepiſſe nomen tradunt à duobus Chami pronepotibus. Sindia autem occidentem ſeu aquilonem verſus terminatur Carmaniâ, ſeu potius regione Macran, & Segiſtanæ deſerto: reliquas fere partes Indiâ, cujus etiam quædam ſuis terminis includit. Ad Auſtrum verò ſeu Africum alluitur mari; quod indè Sindicum appellant, alterâ parte Perſico, alterâ Indico conterminum. Intelligit autem partes, uti Indiæ; ita quoq; Sindiæ, meridionales: nam hæc attingit latitudinem 25 grad. ubi fere exit Indus fluvius: qui & hinc Sinde vel Sindus vulgò dicitur. Et olim quoque ita dictus fuit: velut ex Arriani maris Erythræi periplo, & Plinio lib. VI. cap. XX liquet: unumq; ejus oſtium Ptolemæus hoc nomine deſcribit. Atque hinc fortè ſubtilius lintei genus appellatur Sindon, ut quod magna copia indè exportari ſolet.

Lin. 16. جزيرة كرل *Inſula Carel.*] Geographorum,

quos vidi, nemo hoc agnoscit nomen. Ideoque cum suspecta meritò lectio sit, ex خارك depravatum fuisse à Scribariis puto: deceptis fortè similitudine characterum. De hâc autem, ex sua & aliorum fide, Abulfeda: خزيرة خارك في بحر فارس قريبة من عمان المشهورة بالغاص اللولو وفي شرقيها جزيرة صغيرة كيش *Insula Charec in mari Persico opposita Omano, margaritarum piscatu celebris: eiq; ab Oriente adjacet insula parva Kîs.* Et quidem Charec in medio maris collocat Iacûtus, (uti alteram Kîs Geograph. Nubiensis) sesqui diei cursu à continente: ac proinde haûd longè ab angustiis seu freto. Huic opinioni meæ satis quadrant reliqua Alfergani verba. Obstare autem fortè videatur, quòd Abulfeda insulam Charec refert ad 23 latitudinis gradum. Sed non semper climatum termini hîc adeò anxiè observantur, ut non etiam ad hoc vel illud subinde locus referatur, qui in proximi initio, & velut ipsis confinibus existit.

Lin. 17. جزيرة العرب *Insula Arabum.*] seu potiùs *peninsula.* Nam sive quid prorsus totum, sive majorem partem aquis circumfluum sit, utrumvis eodem hoc nomine Arabes exprimunt. Dupliciter autem جزيرة العرب illis dicitur. Vel, latiore notatione quâdam, totus ille tractus; qui fluvio Euphrate, sinu Persico, & maribus Sindico, Indico, Erythræo, ac mediterranei parte concluditur: duplici intercedente Isthmo; uno, quod protenditur ab الفرما *Pharma* (extremo eâ parte Ægypti oppido, nunc diruto) ad mare Erythræum, 70 quasi Miliar. Arab. intervallo: altero ab اياس *Issò*; seu statione navium proxima باب اسكندرونه, *Alexandretta*, ut vocant, ad Euphra-

Euphratē; nempe بالس urbem in occidentali ejus ripa, Syriæ totius ultimam, sub 36 grad. parallelo. Insula autem Arabum appellatur, quòd ab omni quasi post diluvium ævo regionem ejus præcipuam, nempe Arabiam propriè dictam, suo jure ipsi tenuerunt; reliquā fere partem sibi vindicârunt, armisq; & excursionibus impetiverunt: universam deniq; Muhammedico imperio, & quidem primam, subjugârunt. Ita ut ibidē etiam nunc ipsorum lingua ubique locorum vernacula obtineat: & ipsi proindè Turcæ ac Persæ dictam peninsulā hodie عربستان vocent. Arabiam propriè dictam, peculiari nomine العربة, arctioribus è contra terminis constringunt: utpote definitam isthmo, qui ab ايلة *Elane* Ptolemæi excurrit ad sinus Persici principium, & territorii Cusensis finem. Quæ fere Græcis Arabia felix est. Petrææ autem partem Arabes Ægypto, partem Syriæ; eidemque huic Desertam ascribunt, quam براري الشام Syriæ deserta nuncupant.

Ibid. ارض اليمن *Regionem Iemen.*] Arabia, strictè sumpta, dividitur ab ipsa gente in regiones quinque, اليمن, الحجاز, التهامة, النجد & اليمامة sive عروض; *Iemen, Higjâs, Tehamam, Negjd,* & *Iemamam*, sive *Aarud.* ad quas plerique addunt البحرين *Bahrein:* licet nonnulli referre malint ad Iracam, i. e. Babyloniam. Regionem Iemen à Septentrione terminat نجران *Negjrân*, inter mōtes oppidum, quod regiâ sede & metropoli صنعا *Sanaâ* borealius est 10 fere dierum itinere, habens latitudinem graduum XIX: item aliud حلي *Haljo*, non longè à mari rubro, sub lat. XX grad. Et non procul à mari Persico seu Indico,

Indico, antiquum emporium Omân, Ptolemæo quoque cognitum; de quo paulò post.

Lin. ultim. ظفار *Dafar* & *Difar*.] Ita dicta olim fuit civitas prope à Sanaa, & juxta quosdam hęc ipsa. Vbi sedē regiam habebant Hamjaritę, nobilissimi Arabum & antiquissimi, Homeritæ Ptolemæi: qui eodē ferè loco describit Metropolim Saphar. Arabum autem ظ per *S* exprimere aliis plerisq; familiare. Sed hîc intelligitur oppidū, nunc etiam celebre, vulgò Dofar dictū: estq; caput provinciæ الشحر *Xihræ* vel *Xohræ*, (Ptolemæus habet urbem Σόχχορ) juxta maris Indici litus extensæ. Ipsa autem hæc urbs Dafar, quæ in recessu quodā productiore sita, ab antiqua illa distat 24 leucis: portum suo commodiorem habens in vicino vico seu municipio المرباط *Mirbât*. In Provinvinciæ hujus montibus proximisq; crescunt arbores thuris feraces: unde regio hæc λιβανοφόρος Ptolemæo nuncupata. Eas Arabes Scenitæ cultellis vulnerant; & thus in terram destillans colligunt, collectumque ad Principem deferunt: qui ad alium, capite eos lex antiqua damnat.

Ibid. عمان *Omân*.] Est Emporium Omanum Ptolemæi; duarum regionum, Iemen & Bahrein, terminus. Omân verò nomen esse tradunt filii Sabæ, nempe Abrahami ex Cethura nepotis, de quo Gen. cap. xxv. Id huic oppido datum: ut Abrahamidum alia oppidis aliis Iemen. Nam postquam omnia sua tradidisset Patriarcha filio Isaac, reliquos concubinarum ablegavit versus terram Orientis, ad quam hæc etiam ipsa pertinet. Præsidium urbi cum arce appositum. صحار *Sohar:* forsan nomine patris Hebron, quod & citatus locus habet. Hoc nomen deinde & primariæ urbi cessit, in cujus etiam reliquiis

liquiis ſervatur: alterum verò, nempe Omân, notandæ inſervit regioni. Hæc Sohræ, ſuperiùs memoratæ, contermina, c c c ferè milliar. ſpatio juxta maris Perſici, quod ibi Omanicum dicitur, littora excurrit; ut teſtis eſt Abulfeda. Qui & variorum fructuum feracem prædicat: ſed æſtu ita ferventem, ut حر عمان *Calor Omanicus*, proverbio paſſim notus eſſet. Omanitæ autem plerique omnes adhærere ſolent ſectæ الاباضية: quæ à primo autore عبد الله بن اباض nomen habet; una de LXXIII, à communi Muhammedicæ religionis norma digreſſis. Olim ad ipſam, de qua diximus, Metropolin undique commeabant mercatoriæ naves: ſed quod paulatim fieri deſiit, propter pericula ab inſulæ vicinæ objectu: non quidem ſuprà dictæ Charec ſive كرك, uti expreſſit Cotbodinus, quippe quæ altiore monte ſatis conſpicua: ſed proximæ Kis, quæ humiliore ſolo latens vitari minùs poteſt. Ptolemæus lib. VI. cap. VII. emporium Omanum collocat ſub latitudine 19. grad. & 45. minut. quem hîc Geographorum Orientalium pars, alii poſt alios, ſequi videntur. Nubienſis tamen, & Philoſophus Xiraſita referunt ad clima ſecundum; ut ipſe quoque Ptolemæus lib. VIII. Ibn Maruph, Moradis tertii, Imperatoris Turcici, Mathematicus ad lat. grad. 23. ubi & ex Europæorum obſervatis Mappæ exhibent urbem Soar, quæ eſt Sohar, ſeu Omân. Atque juxta hanc rationem Alfraganus hîc intellexerit non oppidum ipſum; ſed auſtraliorem regionis partem: niſi dicamus accenſeri illud climati primo, propterea quod cæteræ urbes Iemen ad ipſum pertinent: & hæc in ejuſdem confinibus, nimirum, principio ſecundi conſiſtit: quod modò etiam de Charec monuimus.

Ibid. حضرموت *Hadramutta.*] Nomen Græcis quoque cognitum. Theophraſtus libr. VIII. Hiſt. Plant. cap. 1 v. ἀδραμύτηνον vocat: ibiq; thus & myrrham provenire ſcribit: quod & ipſi aſſerunt Arabes. Ἀδραμίτων χώρην habet Ptolemæus, & χαλεπαμωνίτιδα Strabo. Diſtinguit tamen ille, ut & Plinius, cum Adramitas & Chatramitas populos diverſos facit: utriſque verò eandem aſſignat ſedem, nempe auſtraliora Iemen. At videtur diſcrimen omne natum à diverſa tantum nominis حضرموت pronunciatione: ſiquidem literas ح & ض exteri nec rectè efferunt, nec proinde eodē modo. Niſi fortè Chatromitas non ad حضرموت, ſed ad حضرمة oppidum Bahreinæ, de qua Nub. clim. 2. part. 6, quis referēdos cenſeat. Prouincia hæc oppida duo, pagos complures habet: unum شبان *Xibân*, in cognomine monte, coq; aſpero & prærupto, ſitu & arce munitum, ipſo etiam regionis nomine celebratum; alterū تزيم *Tezîm.* ambo autem diei itinere remota ſunt à vicino mari, ſabulis utrobiq; interjectis; quæ ſpeciatim الاحقاف dicuntur. Prius, quod Orientalius, Arabes probatiores locant ſub latitudine 13. grad. ſeptem dierum intervallo ab urbe Aden, quæ jam proximè ſequitur. Tria autem illa nomina primùm fuiſſe tribuum omnes docent: & quidem Hadramaut primi ſatoris, qui erat Ioctani filius: & iiſdem literis חדרמות ſcribitur Geneſ. c. x. Nam Ebræorum ר ſæpe eadem cum Arabum ض. Ibidem quoque dicuntur Ioctanidæ habitaſſe à Meſa ad montem Orientis Sephar. Meſam quidem Rab. Saadias interpretatur Meccam: quod & inter antiqua hujus nomina Arabibus non incognitum; & ab Iſmaëlis filio petitum traditur. Mons autem Sephar eſt montana illa regio thurifera,

quam

quam Arrianus in maris Erythr. periplo, & Plin. lib. XII. cap. 14. veriſſimè deſcribit, ipſis velut Arabum verbis. præterquam quod Sabam vocat, & cum hac confundere videtur. De cognomini urbe in illo monte vide ſupra in ظفار; & infra in صنعا. Ioctanidum quoq; nomina alia in locis ſequentibus, Sanaa & Saba, notare licet.

PAG. XXXVI. lin. 1. عدن *Aden.*] Oppidum toto orbe celebre, ſitum in receſſu maris, quaſi ad finem Indici, (Azanicum ibi dicitur) & ingreſſum Arabici ſive Erythræi, ſub 13 grad. latitudine. Ibi quidem inter mare utrumque terrâ quadridui iter eſt, per anguſtias montis. Et hoc quoque, uti de Omân diximus, Arabes volunt eſſe nomen filii Sabæ; qui Abrahami ex Cethura nepos. Vrbs hæc omni tempore ob ſitus commoditatem multùm frequentata fuit: & quæ Ptolemæus, Arrianus aliique tradunt de Arabiæ Emporio, optimè in eam quadrant. Nec immerito urbi Aden nomen Arabiæ inditum fuerit: ſiquidem eâ Arabum merces exportari ad alios, & ab hiſce ad illos aliæ importari ſolitæ. Ita & ἀπλῶς quibuſdam Εὐδαίμων vocata nomine regionis. Nam Iemen ab اليمن *benedictione* & *felicitate* nomen accepit: ob perpetuum virorem & fertilitatem ſummam; nimirum montoſioris tractus: vel ob odores, qui toto orbe in deliciis habiti, & ſacris faciendis adhibiti. Atque hinc fortè ipſum nomen Aden petitum quis dixerit: ſiquidem eo decantatus apud Arabes quoque eſt terræ paradiſus: qui Ebræis עדן; illis verò جنة عدن literis iiſdem dicitur. Vix dubium, quin ſit ἄδωνα, cujus Stephanus ex Uranio meminit; niſi quod mediterraneam facit.

Ibid. صنعا *Sanaa.*] Metropolis eſt & regia totius Iemen, Damaſco ſimilis: inter montes ſita; ac proinde

ita temperato & benigno prædita aëre : ut geminâ quotannis æstate, seu perpetuo velut vere, perfruatur. Ab oppido maritimo مخا *Mocha*, quod in Maris rubri principio situm ad 14 latitud. gradum, ubi Ptolemæo μοῦζα, distat ortum æstivum versus quasi 50 leucis. Nomen antiquum fuisse ارال *Ozâl* antiquitatum scriptores prodiderunt, & à primo impositum conditore, Ioctanis filio; de quo Genes. cap. x. Ozali autem filium plerique faciunt Sanaam; unde nomen alterum : est & tertium ظفار; quod Ptolemæus *Saphar* extulit, ac sub eadem ferè longitud. & latitud. describit, ubi nunc est Sanaa. Sed postea nomen Safar oppido orientaliori; ac deinde alteri, maritimo inquam, de quo suprà diximus, tributum; & quasi soli relictum fuit.

Ib. القين *Alkîn.*] Municipiũ, civitas aliis, in boreali tractu Iemen, qui عثر *Aatter* dicitur, & VII dierum itinere in longum patet, IV in latum, pertingens ad mare. Ipsum autem municipium stationibus VII abest à Mecca, austro-africum versus deflectens.

Ibid. مارا *Mara.*] Hoc nomine describitur Israëlitarum statio in libris Mosis. Sed hîc intelligitur urbs regionis Iemen : quam & inter primi climatis oppida recenset Cotbodinus; & Ibn Iounis, Arabisque anonymi tabulæ collocant sub 63 grad. longit. ab Africæ littore & lat. 15¼. Ejus quoque Ptolem. meminit libr. Geograph. VIII, ἡ δὲ μάρα τὴν μεγίστην ἡμέραν ἔχει ὡρῶν ιγ'. η'. & sub eodem parallelo exhibet codex Palat. ἀμάραν libr. VII. Vbi fere alii habent βαράβαν, aliique μαμάραν: pro qua vetus interpres Latinus Maram. Geographi recentiores substituerunt Marabam, seu Mariabam; quæ metropolis Sabæorum, & describetur postea. Et quidem cum inter

Orientis

Orientis Astronomos Geographosq;, hactenus mihi visos, quicunque مارا habent, non memorent مارب, & è contra: equidem dubitavi, an non duo illa nomina simillima locum denotent unum eundemque. Attamen hoc obstare video, quod Alferganus Maram hanc à sequente Saba distinguit, quam Arabibus non esse aliam à Maraba constat.

Ibid. تبالة *Tebala.*] Regionis Tihamæ oppidum satis celebre, in via quæ à Mecca ducit Sanaam, Iemen regionis Metropolim: itinere sex dierũ secundùm Geogr. Nubiensem, octo secundùm Iacutum à Mecca distans eurum versus. Attamen scriptores quidam meminerunt alterius Tebalæ in ipsa Iemen, non procul indè dissitæ; sed quæ obscurioris famæ. Illa verò ad distinctionem, ut videtur, cognominari solet تبالة الحجاج; utpote prima ditio, qua potitus fuit حجاج بن يوسف الثقفي. Nomen habere quidam volunt à Tebala, filia مكنف ابن يعلى Amalecitæ: at Kelebæus in libro de Etymis locorum à Tebála Abrahami nepte ex Midian. Fuit hoc cum sequente Gurex inter prima oppida, quod acceptâ novæ religionis lege Muhammedem recepit: ideoque & relictum suo juri. Circumjacet tantâ fertilitate ager, ut adagio locum dederit, خصبة تبالة *Vbertas Tebalæ.*

Ibid. جرش *Gurex.*] Oppidulum ex munimentis Iemen, quæ speciatim مخاليف vocantur, in eadem via; dierum VI itinere ultra Tebalam. Territorium satis amplum est, quod Acaciæ feraciſſimum. Habitant illud Arabes جريش dicti, cum cognata tribu بني منبـــه, ex Hamjaritis oriundi, veri & meri Arabes. Celebratur ob irriguum & ferax solum: præstantius quoque

camelarum genus, & coria; quæ indè denominari ſolent.

Ibid. مهر *Mahr.*] Vel potius ex doctiorum ſententia مهرة, regio præcedenti ab ortu brumali contermina, & ad libonotum ipſi Omanæ. Solum deſertum & ſterile, ita ut frumento omni dactyloq; careat. Regio autem à tribu Mahritarum dicta, (qui etiam confinis Xohræ partem habitant) fundatore مهر ابن حيدان: Dialecto utuntur à communi diverſa: ita ut barbari cæteris videantur: licet habeantur عرب صرح i. e. *Arabes meri.* Camelis vitam tolerant: & cameli Mahritici celebres. Eſt autem illis مخلاف *Caſtellũ* cognomine, proprio magis nomine اسفاط *Asfât* dictum, ut Iacutus tradit; medio ferè loco inter Hadramuttam & Sohar, ſub 17. grad. latitudine. quod hîc ab Alfergano intelligi exiſtimo.

Ibid. سبا *Seba* ſive *Saba.*] Regionis Iemen particula, cujus metropolis مارب *Marab*, Mariaba Strabon. Plin. &c. paulo plus triduo diſtans à Sanaa, ſubſolanum verſus, cum quadam ad auſtrum inclinatione. Dicta autem ipſa fuit Saba, ut Arabes diſertè docent: nullus tamen gemini eo nomine oppidi meminit, quod facit Ptolemæus. Hæc autem urbs مدينة سبا *Saba*, juxta Arabes, dicta fuit, (ut & territorium ipſum) à Saba, filio يشجب *Iexhab*, filio Ioctani. Ita ut quem Sacræ Literæ Sabæ patrem dicunt, avum interpretentur Arabes. Neque verò hoc ſacris ſcriptoribus aut cęteris Orientalibus inſolitum. Illum autem Sabam dictum volunt à سبا, quod eſt *captivum abducere*, quòd ille primus homines cepiſſet in ſervitutem. Hic longè lateque dominati ſunt بنو حمير *Hamjaritæ*, Homeritæ Græcis, Latiniſq;, à Sabæ filio,

filio, ut tradunt, ita nuncupati: quorum reges priſci & primi complures rivos eò concurrentes ingenti extructa mole, العرم ipſis dicta, interceperunt: ut ita aquæ domini ſitibundæ regioni potentius imperarent. Succeſſum operis & hiſtoriam reliquam vide apud Geographum Nubienſem, parte VI, climatis II. nempe ut rupto aggere & irruente inundatione, quam سيل العرم vocant, ipſis exitio fuit. qua de re & in Alcorano ſpecialis Surata extat, quæ سبا *Sabæorum* inſcribitur. Et quia potior eorum tribus tunc ſingulari gloria & potentia ſua excidit atque diſperſa fuit; ab hiſce ejus fatis natum adagium, ذهبوا ايادي سبا *abierunt diſperſi Sabæorum inſtar.* Hinc oriundã Arabes ſcribunt, regnoque huic præfuiſſe Bulkis, quæ ſtudio incenſa videndi Solomonis Hieroſolyma conceſſit. Et palatii rudera, quod in urbe Mareb illa incoluit, inter præcipuas Arabiæ antiquitates recenſent. Reginam illam Æthiopes contendunt fuiſſe ſuam: nam & hiſce notus Saba fil. Chus: à quo genus ducunt. Et utriſq; favet, quòd in Euangelio regina noti dicitur; ad quam plagam à Palæſtina verguntambo. Pro Arabibus autẽ inter cætera hoc facit, quod Sabæa regio & ob thuris copiam celebratur in Sacris Literis: quâ Æthiopia caret. Mareb quidem multo abhinc tempore collapſa fuit; ſuperſtes tamen vicus & territorium eodem nomine clara exiſtunt. Quoniam autem regio Hadramutta, in cujus extremis montibus ſita Mareb, & contermina Xohra, ſuberant Sabææ; hoc nomen Saba à Plinio aliiſque regioni thuriferæ datum fuit: licet Arabes teſtentur thus omne provenire in locis montanis Xohræ, trium modo dierum iter patente tractu. Vel hæc fortè cauſa fuerit, quæ nec hinc aliena, quod thus collectum

mos

mos esset convehi ad Solis templum, quod Sabæis sanctissimum erat. utrunq; ex αὐτοπτῶν fide confirmat Theophrast. lib. de Hist. Plant. VIII. cap. 4.

Lin. 2. بحر قلزم *Mare Erythræum*, sive *sinus Arabicus*;] ita dictus ab oppido القلزم *Colzum*, latitud. 28½ grad. quod procul dubio est Clysma Ptolemæi, in littore Ægypti oppositum Elanæ, seu promontorio Pharam, quod طور dicitur, in طور سنا *montis Sinai* extremitate. Locum autem illum, atque indè mare hoc ita nuncuparunt, quod propè submersus creditur Pharao: nã قلزم est *deglutire* & *absorbere*. At hoc oppido collapso aliud paulò inferiùs, ad intimum sinus Arabici recessum, in usum portus extructum fuit, سويس vulgò *Sues* dictum, haud longè ab Heroum urbe; quæ paulò infra est, nunc arenis obruta.

Ibid. حبشه *Regionem Habassinorum.*] Hæc pars est Æthiopiæ sub Ægypto, Troglodytica Ptolemæo dicta. Initium capit, teste Alvarezo, ab insula & urbe Suachen, 18 latitudinis gradu: finitur verò ad austrum sinu Avalitico, Arabibus خليج البربري: cujus vicini populi, Æthiopes quoq;, etiam illis Barbari vocantur. Hisce vicini, ad occasum potiorẽ partem sunt Æthiopes الزنج *Zingi*. & ibidem Zingis extrema Ptolemæo nota. Et hisce Nilum versus succedunt الفنج *Fungi*. Habassinis autem, qui inferiore regionis parte ad Nilum accedunt, uti & Fungis, ab occidente contermini sunt Nubæ, Nubei Æthiopes Plinio vocati. Ab Asvan, Ægypti termino, secus Nilum in austrum patent, duorum quasi mensium itinere: prout Geographus Nubiensis refert. Inferiore tamen parte Nubas & Habassinos ferè interjacent Æthiopes

البجه

البجه *Begia*, Leoni Africano *Buggia* dicti in fine lib. VII, & principio VIII. Arabum & Nubarum mixta progenies; uti Zamachsaris tradit. Illis & ad mare Erythræum erat portus ac munimentum Sibid, fortè Sabat Ptolemæi; quod ab Ægypti domino dirutũ. Habassinis etiam circa Ægyptum interjectæ Arabum familiæ quædam, quæ istuc transmigrârunt. Nubas autem ad Septentrionem terminant Nili cataractæ, الجنادل dictæ, ad austrum verò deserta Goran; ab ortu regiones الواحات *Alvahat*, *Covâr*, *Canem*, كوار، كانم، برغار، تجوه، *Zagâr*, *Taguva*. Atque hæc quidem Æthiopia est sub Ægypto: Interior verò بلاد السودان *Nigritarum terra*. Cæterũ Habassini Arabibus hoc nomine appellati, quasi Ἀπίμικτοι; quod non ita ut ipsi in tribus distincti: nam حبش est *promiscuè congregare*. vel ab Ægyptiorum voce ἀναὸς; quâ Æthiopũ habitationes illis denotari testis est Strabo.

Lin. 3. نيل مصر *Nilum Ægypti*.] Est enim alius, نيل السودان *Nilus Nigritarum* seu *Niger* dictus. Quos unum eundemq; esse amnem, duobus hisce brachiis protensum, demõstrat Geogr. Nubiensis parte quarta climatis primi.

Lin. 4. جرمي *Germa* vel *Gurma*.] Habassinorum rex, à suis Negus seu Nagas dicitur, & النجاشي Arabibus: Lusitanis autem Prester Ioaon, unde vulgo Presbyter Ioannes, dictus fuit. Hoc nomen indè ortum puto, quòd inter Orientis mercatores, inprimis Persas, nec non Armenos, Indos & alios, qui Persico idiomate utuntur, پرستار خان *Prestar Chan* vocari intellexissent. Id ipsum autem sonat *mancipiorum* vel *servorum principem*. Ita Arabibus vox عبد *servus*, absolutè posita

Æthiopem seu Habissinum notat: siquidem hujus gentis mancipia toto Oriente notissima. Regia autem sive aula etiam eodem nomine Betenegus, id est, بيت النجاشي *domus Nagassi* appellatur. Civitas, quæ aulâ regiâ illustris, Francisco Alvarez, diligenti regni hujus lustratori, dicitur Chaxumo: & ab eo describitur à capite itinerarii 37 usque ad 42: creditur que esse eadem cum regia antiqua Axuma Ptolemæi & aliorum. Atque eadem etiam videtur esse hęc nostra جرمي: quippe cui eundem autores probatiores situm tribuunt. Et forte à Gariman, quem Habassini ut Sanctum venerantur, nomen habet: sicuti & cognomine monasterium in propinquo extat. Vel ab ipsa Axuma sive Chaxumo manâsse potuit: ita ut primùm جومي scriptũ fuerit; deinde, pro litera و simillimâ ر notatâ, vocis depravatio traditione serpserit: quod in peregrinis sępius contingit. Literarum autem ξ & ج pronunciatio satis affinis: ut illa per hanc exprimi potuerit. Aliàs Habassini urbes paucas habent, & fere Arabum Scenitarum more sub tentoriis & in agris degunt: atque ita regiam sæpius mutari, nec uno semper loco fixam credibile fuerit. Geographus Nubiensis meminit quidem urbis huic nomine affinis, nempe جرمه; sed in regione Pharan, in parte prima climatis secundi; longè extra regni Habassinorum fines: utpote quæ subiecta ejusdem primi climatis parti quintæ. Quare جرمه illa à nostra جرمي seu جومي planè diversa fuerit: ubi ferè eodem nomine collocati sunt à Græcis & Latinis Garamantes: quorum metropolis Ptolemæo Garama est.

Ibid. ዱምካላ *Dumcâla.*] Iacuto dicitur *Dumcâla*, & Leoni

ni *Dungâla*: prout Africani ق ſæpe efferunt eodem modo, quo Perſæ & Turcæ ſuum ڤ. Hæc Nubienſium urbium, quæ fere omnes ad Nili ripam ſitæ, (ſiquidem is ſolo fertilitatem confert) caput eſt: in medio quaſi regni poſita; & amplitudine, habitantium numero, & mercatorum confluxu cæteris antecellens. De qua vide Leonē Africanum lib. VII, c. ultimo; & Geographum Nubienſem clim. prim. parte quarta: ubi Nubiæ urbes à meridie procedenti in ſeptentrionem recenſentur, كوشه, دنقاله, غلوه, دوابه, بلاق, *Couxa, Nuvâla, Galva, Duncâla*, & *Ielâc*, ad Aſtaboræ & Nili confluentem: omnes inter climatis primi limites comprehenſæ. Plinius l. 6. c. 30. memorat Nubeorum Æthiopum urbem, Nilo impoſitam, Tenupſin: ſed an & quænam de illarum numero ſit, vix conjectari licet.

Lin. 5. ارض المغرب *Africam.*] Sicuti Europæis Aſia à ſitu Oriens nuncupari ſolet: ita hujus gentibus Europa & Africa dicitur Occidens: & peculiariter potior Africæ pars; utpote celebrior apud illos magiſque perſpecta: inprimis poſtquam Arabes eandem occuparunt. Hanc جزيرة المغرب *Inſulam Occidentis* vocant: quippe gemino mari, Mediterraneo & Atlantico; geminoque fluvio, Nigro & Nilo, undique circundatam.

Ibid. البربر *Barbarorum.*] Hoc quidem Græcis & Romanis generale nomen exteros notans, quos non intelligunt. eſt quoque ſpeciale gentis nomen. Vtrunque ab Orientalibus pervenit ad alios: nam Syris & Arabibus بر *extra* & *foris* eſt: unde factâ duplicatione, ut & in aliis vocibus fit, برابر collectivè dicti ſunt, qui lingua vel loco erant diſſiti, & peregrini: & برابر Arabibus eſt Βάρ-

βαρίζειν; nec non بربرة *hominis iracundi vox, quæ percipi nequeat*: ipsumque verbum, literis nempe stridulum, murmurandi innuit significationem; ut quoque vox ثرثر, aliæque similes. Speciatim vero ita Arabibus dictæ gentes duæ, extra patriæ fines longiùs digressæ, idiomate differentes: una ad littus Æthiopiæ, quod occurrit extra Maris Rubri angustias, Ptolemęo aliisq; antiquis cognita: altera, qui peculiariter Barbari vocantur, totum Africæ tractum occupavit; qui indè Barbaria nunc vulgo dicitur; & Atlantis inflexu, à Barca ad Messam, ultimæ Mauritanię oppidum, protenso, & Mediterraneo mari Oceanique parte comprehenditur. insederunt etiam quosdam Numidiæ & Libyæ tractus. At nunc montanas fere tantùm partes tenent, ab Arabibus ejecti campis. Amalacitæ, & maximam partem Philistæi habentur, qui partim eò fugati atq; dispersi, partim coloniis eò deductis, Syris deinde Arabibusque بربر *Barbari* i. e. *Extranei, Peregrini* nominati fuerunt. Ita unanimi consensu tradunt Arabici antiquitatum scriptores. Hoc sensu Barbari Orosio, & Procopio noti, Plinio Sabarbares, & Arnobio lingua Barbarica: quam gens ipsa, Leone Africano teste, آوال اماريغ *Aval Amarig*, id est, *Sermonem gratum*, seu *nobilem* denotat. Barbarorum primariæ ibidem tribus quinque sunt, زناته *Zenatæ*, غماره *Gomaræ*, هواره *Huwaræ*, مصموده *Musmoudæ*, & صنهاجه *Sanhagiæ*. Postremi tamen Arabibus oriundi censentur.

Ibid. بحر المغرب *Mare Hesperium.*] Hoc generali quidē nomine olim dicebatur Orbis habitati terminus, mare Mediterraneum unà cum Oceano. Hîc tamen peculiariter intelligitur Oceani tantùm pars, Europam, & inpri-

inprimis Africã alluens: ut quod mare altero occidentalius. Mediterraneũ verò à regionibus ſimiliter contermínis nomẽ accepit: ita بحر الروم *Mare Romanum*, ſeu *Græcanicum* dicitur; vel بحر الشام *Mare Syriacum*, &c. Oceanum vero ſpeciali nomine vocant بحر المحيط *Mare Circumfluum*; quippe quo ambiri Terram vetuſtiſſima opinio: & بحر الظلمات *Mare Tenebroſum*; ob longas noctes, quas in eo experti fuerant.

Lin. 8. المنصورة *Almansóra.*] Multæ ſunt ejus nominis urbes (ut in Chovarizma, Africa, Ægypto) quas à victoriis ſuis vel præſidiis ita denominarunt; vel etiam à fundatore, præfecto, aut inſtauratore, cui eſſet nomen المنصور. Quo modo & hæc civitas appellata à منصور بن جهور, Omaniadum prorege; qui & creditum regnum occupaſſe dicitur. Nomen antiquitùs urbi fuit يمنهوا *Iemenhou*, teſte Abulfedâ; & pòſt هنابات *Hamnabád*, autore Hamzâ: fortè quòd ibi ſedẽ haberet gentilium ſecta هنا: ut Spahanenſis urbis pars dicitur كورابان *Infidelium*, nempe *Magorum ſedes*. Mansóram autem plerique collocant ſub XXVI latitudinis gradu; octo dierum itinere à maris littore, in ripa occidentali fluminis Mehran ſive Indi: qui quatuor milliaribus ſupra Mansórã in duos ramos dividitur; & quidem minor in ſeptentrionem ab urbe digreſſus, duodecim infra eandem milliar. cum primario alveo rurſus coït. Multum celebrari hæc urbs ſolet, utpote Sindiæ caput ac præſidium: ſed ardori expoſita, nec ſolo multùm ferace prædita, niſi palmularum & ſacchari.

Ibid. البيرون *Albirûn.*] Ita & Abulfeda ſcribit: at Geographus Nubienſis & Iacutus النيرون *Alnirûn.*

Hoc quoque Sindiæ oppidum est, 15 parasangis Mansórâ occidentalius, in ejusdem fluminis ripa.

Lin. 9. الديبل *Dejbul.*] Apud Geographum Nubiensem scribitur ديبل; sed quod mendosum puto. Oppidum est sub 34½ grad. latitudine, non longè ab ostio Indi sive Sindi: arce validâ munitum in Sindiæ præsidium. nunc سند ديول dicitur vulgò *Diul Sinde.* Non cõfundi autem debet Dejbul hoc cum alio Dabul, quod Europæi in Indiæ littore longiùs hinc removent ad austrum.

Ibid. ملتقي بحر الاخضر *Concursus maris Viridis & Basrensis.*] Intelligit initium sive angustias sinus Persici. Nam mare Viride, teste Abulfeda, Arabibus peculiariter notat pelagus Indicum: & quidem propterea, ut puto, quòd ubi altiùs se expandit, viride vel cæruleum apparet, (utrunq; enim اخضر designat) ob luminis in profundo opaciore trajectũ; uti in aliis maribus altioribus observare licet, & nullus non in summo aëre videt. Sinus verò Persicus mare Basrense dicitur, à termino suo ultimo; qui est Basra, emporium celeberrimũ, sesqui diei itinere dissitum ab ipso mari. Ejus autem littori imposita arx عبدان *Abbadan*, quam Tigris ab ortu contingit, lato ibidem ostio se diffundens, navium appulsui ac stationibus erectis in altum signis ac præsidio securitatem præstat.

Lin. 10. نجد *Negid* seu *Negsd.*] Vox hæc Arabibus terrã notat eminentiorẽ: & peculiariter Arabiæ partẽ opponi solitam Tihamæ, quæ & الغور quasi *Cava* dicitur; licet permixta habeat montosa quædam: interjacet autem Negsda inter regiones Iemamam, Iemen, Higiaz & Iracam. Ibid.

Ibid. تهامة *Tehâmam* & *Tihâmam.*] Hæc Arabiæ regio ab occasu mare Rubrum spectat; partibus cæteris regiones Higiaz & Iemen: à Mecca usque Aden excurrens. تهم autem *Æstus vehementia* dicitur, unde regioni huic nomen: quia parte potiore depressior Solis fervori patet. Dicuntur etiam loca quædam esse في نجد او تهامة الحجاز او اليمن *In Negsd vel Tihâma regionum Higiaz vel Iemen:* sive generali earundem vocum usu, hoc est, altiore vel humiliore parte: sive quòd Tihama & Negsd parte quâdam aliis regionibus inseruntur.

Lin. 11. اليمامة *Iemâma.*] Vrbs paulò borealior Meccâ, & gradibus 4. orientalior. Negsdæ proxima, ita ut à quibusdam ad eam referatur. Antiquitùs vocata fuit جو *Gjauva:* in cujus territorio sedem habebant inclytæ Arabum tribus, بنو طسم & بنو حنيفه, جديس, بنو عاد. Erat autem Tasmi hujus neptis quædam, nomine Iemâma, ob summam oculorum aciem, velut lyncea, inter Arabes celeberrima, vulgato etiam proverbio ابصر من اليمامة *Oculatior Iemamâ:* quin regnum ibidem tenuit, uti ex Geogr. Nub. parte 6 Clim. 2. patet. Indè urbem illam Gjauva Iemamæ cognominatam tradunt: & postea solo Iemamæ nomine, tanquam proprio inclaruisse. Hinc & tractus universus, Negsdâ, Tihámâ, Bahrein, Ománâ, Xohrâ, Hadramuttâ, Sabâ, & reliquâ Iemen inclusus, Iemama dictus: atque etiam العروض *Arud*, nuncupatur, quia معرضة في بلاد اليمن *regionem Iemen transversam secat.* vel ab ipso Iemamæ fluvio, seu alveo potius, modò pleniore, modò sicco, quem وادي اقحان dictum nomino proprio etiam العرض vocant; quòd regionem illum percurrit: ut videre licet loco Nubiensis

jam

jam citato. Vrbis illius famam auxit ſpeudoprophetes Muſeilema, æmulator Muhammedis; quo victo & occiſo, & urbs & tota provincia in poteſtatem Abnbecri venit. De eo, ſi lubet, vide Hiſtor. Sar. libr. 1. cap. 2.

Ibid. البحرين *Bahrein.*] Hoc regionis maritimæ nomen eſt, quæ à Baſra protenditur ad terminos Omanæ: & quoniam maris Perſici ſeu Baſrenſis & Indici principia connectit, Bahrein, i.e. *duûm marium* dicta fuit. At hîc intelligitur, quæ illi adjacet, Inſula cum urbe cognomine, ad grad. 26½ latitudinem: tribus à littore ſeu urbe القطيف, vulgò *Catifa*, milliaribus diſtans. In propinqua maris parte ſunt celeberrimæ unionum κολυμβήθρης, i. e. piſcationes, quæ urinando fiunt. Crediderim autem hanc Inſulam eſſe Icharam Ptolemæi, ſive Ichariam Strabonis; perſuaſus convenientiâ ſitus.

Ibid. هجر *Hagiar.*] & quoq; cum articulo *Alhagiar.* Quibuſdam regionis Bahreinæ oppidum eſt, teſte Abulfedâ, & Geogr. Nubienſ. & quidem in ejus præſidium arce munitum: (fortè Geraſeu Gerra Ptolemæi) juxta pleroſque ad latitud. grad. 24, min. 50. Hagiar autem Hamjaridum idiomate notat قرية *pagum*, & etiam *urbem.* Atq; ita hæc هجر البحرين & abſolutè هجر dicta fuit: vel ab هجر بنت الكفف *Hagiar filiâ Mukeffi*, Iſmaëlitæ, uxore محكم بن عبد الله, domino وادي محلم vicini *alvei* ſeu *vallis*: vel ab Hagiar ipſa Iſmaëlis matre; cujus nomine etiam appellatus fuit prope Medinam pagus. Si verò ح ſcribatur pro ه; duo denotari poſſunt oppida diverſa, alterum الحَجْر, alterum الحِجْر, illud quidem in Iemama, bidui fere itinere ab urbe Iemama

Corum

Corum verſus, quibuſdam regionis Metropolis habitum; hoc verò in parte boreali Higjâzæ, montibus nempe, qui eminus juncti videntur, cum tamen ſigillatim diſtincti, الاثالب vocati. Eſtque Egra Ptolem. & Stephani: ubi ſedem habuêre ثمود, *Thamuditæ* & *Thamudeni* Ptolemæo dicti; quorũ in Corano facta mentio. Alii verò per nomen illud Hagjar extremam regionis Bahreinæ partem intelligunt, Negſdæ conterminam; quin alii etiam regionem univerſam.

Ibid. يثرب *Iatrib.*] Regionis Higjazæ urbs, muro cincta; ſub 25½ grad. parallelo, ſeſqui fere gradu diſtans à maris Erythræi littore: ubi portum habet in oppido الجار, quod videtur eſſe Arga Ptolemæi. Solum ejus planum eſt, multis partibus ſalſuginoſum: palmarum tamen ac frugum quarundam ferax; præſertim prope montes. Vicinos enim habet duos; alterum احد *Ohod*, qui à ſeptentrione; alterum عير *Air*, qui à meridie: utrunque duabus fere leucis ab urbe diſſitum. Nomen Iatrib petitum eſſe à primo regionis hujus incola, Arami nempe, ex عوض, de quo Gen. cap. x. abnepote, Arabes tradunt. Non dubito, quin ſit Ἰάθριππα Stephani, pro quo in Ptolemæi tabulis Lathrippa expreſſum fuit. Hîc profugus à Meccenſibus Muhammed amicè receptus fuit, & per aliquot annos ſubſtitit; quibus religionis novę doctrinam publicavit, leges rituſque ordinavit, & tandem cum ſociis ac aſſeclis arma cepit. Quare incolæ hujus urbis انصار *Adjutores* fuêre dicti. Ipſe autem, ut felicium omnium erat ſtudioſus, urbem vocavit طيبة & طابة i. e. *Bonam*: cum alterũ nomen يثرب contrarium præ ſe ferre videretur: ut ex vulgari benè precandi formula

mula apparet, quæ & in Corano occurrit, لا تثريب عليكم اليوم *Ne mali aliquid tibi* accidat *hodie*: nam تثريب i.q. تغيير & فساد notat. Quò alludit dictũ Ibn Abbâs; من قال لمدينة يثرب فاستغفر الله ثلثا انما هي طيبة *Qui vocaverit Medinam Iatrib, ter remissionem petat à Deo; siquidem ipsa Teiba est*, nempe, *bona*. Inclarescente autem Muhammedis nomine, urbs illa مدينة النبي *Civitas Prophetæ*, & simpliciter مدينة *Medîna*, tanquam nomine proprio, nuncupata fuit. Vel quòd hîc primùm Muhammed obtinuit principatum; vel quòd ibidem vitâ defunctus; & tumulatus, nimirum ad templi, quod urbis umbilicus est, orientale latus.

Ibid. الحجاز *Higjâz.*] Arabiæ pars inter Tihamam & Negsdam; ita dicta, communi fere scriptorum consensu, لان حجزت بينهما *quod alteram ab altera dirimit*: vel, ut alii volunt, لان احتجزت بالجبال *quod colligata & constricta montibus*: حجز enim duo notat; nempe eadem, quæ منع & شد. Regionem hanc quoque terminat ad boream Arabia deserta, quam illi بادية الشام *Desertum* sive *campos Syriæ* vocant.

Lin. 12. مكة *Mecca.*] Vrbs in valle extructa, sub parallelo 21½ grad. ubi Ptolemæus locat Macorabam, dierum 10 itinere à Medina, eâque duplo major, & milliaribus Arab. 40 à littore: circundata ab omni parte montibus; quorum inprimis duo, alter ab ortu, ابو قبيس *Abu Cobeis*; alter ab occasu, قعقعان *Cacaân*, efficiunt vallosum ejus solum: sterile planè & siccum. Vrbs tamen toto orbe celeberrima, propter immensum omnium gentium confluxum (unde & nomen Mecca urbi inditum

tum volunt) ad anniversaria ejus sacra: quorum in explicatione mensis *Muharram & Dulhagiæ* suprà meminimus. Dicta fuit & urbs ipsa بيت الله الحرام, uti Ierusalem بيت المقدس: licet illud primùm proprium nomen fuerit Cabæ; quæ Sacellum, & velut Sacrarii antiquissimi loco habetur. Hoc ab Abrahamo conditum ferunt: at verò similius est, Ismaëlem vel ejus posteros autores extitisse; siquidem ad sacelli portam puteus est, (proprio nomine زمزم *Zemzem* vocant) ubi consedisse Hagar cum infante, & angeli consolatione ac promissis recreatam credunt. quâ de re vide Genes. cap. 31. Circum Cabam est المسجد *Templum*: quæ duo simul propriè etiam بيت الحرام vocata. circum illud templum est ipsa urbs: & circum hanc الحرم *Septum sacrum*, certis turribus seu terminis distinctum, quorum alii 5, alii 7, alii 10 milliarib. ab urbe absunt. Ipsius etiam templi circuitus الحرم dicebatur: quia intra hoc quidem septum vitale quid exstinguere nefas: intra illud nec venari liceret, nec amputare arborem, nec adoriri hostem. Nomine haud dissimili etiam urbs hæc بكة *Becca* dicitur; sed quod plerique magis proprium faciunt loco sacriori, nempe الحرم priori. Extra puteum Zemzem nullibi in urbe aqua, nisi ex pluvia in cisternis. Circa Muhammedis tempora Zubeirus, principum Corexitarum unus, maximis impensis molitus fuit, ut aquã deduceret ex monte Arafat: at successu caruit inceptum opus. Tentatum idem à Solimani, Imperatoris Turcici, conjuge; & paulò pòst feliciter absolutum.

Ibid. طايف *Thaïfa.*] Oppidum hoc extat milliaribus 60 à Mecca ad ortum, in dorso montis غزوان *Gazvân:*

loco totius Higiazæ frigidissimo; ita etiam ut in vertice subinde gelet. Quare & fructuum, qui Meccam avehi solent, cõpiâ abundat, & aëre saluberrimo fruitur. Vnde Temîris Poëta, ubi celebrat Zeineb sororem principis Higiâgi, تشتو بمكة دهة ومصيفها في الطايفه *Hyberna*, inquit, *agebat Meccæ, ob delicias; & æstiva Taïfæ.* Antè dicta fuerat وج *Vegja*, à conditore وج بن عبد الحي: sed postquam muro cincta, Taïfæ & Teifæ accepit nomen: nam طاف est *obire.* Territorium totum بلاد ثقيف dicebatur, ab incolente Arabũ tribu: hodie عباس بلادي *Abbâsi regio* appellatur Turcis, à Muhammedis patruo; qui hîc olim vixit.

Ibid. جدة *Gjudda.*] Est فرضة مكة Φοίνικων *Meccæ:* insigni instructum portu. cui opponitur in littore altero simile, nomine عيذاب *Aidâb:* ab aliis Ægypto; ab aliis Begiæ; ab aliis deniq; Habbasiæ (Æthiopiæ partibus) adscriptum. imperii saltẽ Turcici hâc parte terminus. Frequentissimus hîc est inter Arabiam & Ægyptũ trajectus, præsertim agminum, quæ ex Africa quotannis Meccam adeunt, 40 milliar. Arab. patens. Gjuddę hodie telonium est; ubi naves ex India, Iemen, aliisque partibus australioribus venientes vectigal pendent, partim Imperatori Turcico, partim domino Meccæ: qui شريف مكة *Nobilis Meccæ*, utpote ex familia Muhammedis oriundus, dicitur. Ille præfectum, hic tantùm coactorem ibidem habet.

Ibid. صعيد *Saîdam.*] Nomine hoc denotatur in genere *magnus terræ tractus:* & speciatim talis ad utramque Nili partem regio, Thebaïs dicta; quæ à Syene excurrit ad Memphin, 24 dierum itinere; in latum autem montibus constricta, modò unius diei, modò dimidiæ duntaxat

taxat intervallo. Mons in orientali tractu protensus جبل المقطم *Mons Almucattem*; alter in occidentali dicitur الطيلمون *Teilamon*. Monti huic ab occasu adjacet terra الواحات: illi autem ab ortu regio magnam partē arenosa & deserta usque maris Rubri littora. Quoniam igitur in magnam porrigitur longitudinem, rectè à Geographis divisa fuit in الاعلى, الاوسط, الادنى; *supremam*, à Syene ad Cænem sive Neapolim; *mediam*, à Neapoli usq; Cynopolim; denique *infimam*, à Cynopoli ad vicina Babylonis.

Lin. 14. قوص *Cusa* sive *Kûs.*] Quidem قوس scribunt. Hæc, Abulfedâ & Iacuto testibus, totius Saïdæ, id est, Thebaïdos caput est, in suprema ejus parte sita, & Orientali ripa Nili; quinque dierum itinere à Syene: multas antiqui ævi reliquias ostentans: & post Cahiram seu Alcairo totius Ægypti urbs maxima. Atque ut huic, nempe Cahiræ, nomen Misraïm, filii Cham, inditum fuit, cum مصر dicitur; ita videtur illa nomen filii alterius Kus accepisse. Licet autem juxta Flav. Iosephum, & interpretes sacros terra Kus Æthiopiam notet; potuit tamen idem nomen esse inditum tantę urbi, ejusq; regioni; præsertim quæ illi contermina. Haud dubito quin sit Stephani κῶς: & quidem Thebis proxima, vel hæ ipsæ; quæ pòst Diospolis magna dictę, Ægypti Metropolis quibusdam habita, Strabone teste lib. XVII. Idipsum confirmat, quòd Diospolis à Ptolemæo sub eadem collocatur latitudine, sub qua & Kûs ab Ibn Iounis Ægyptio aliisque; & quod utraque, prior quidem à Græcis & Latinis, posterior verò ab Arabibus, describitur vicina urbi Copto. Cusa hæc ob frequentes Æthiopum, Indorum, Arabum

& Ægyptiorum mercaturas excreviſſe dicitur; & ex antiquæ urbis ruinis inſtaurata. Caſtellum & portum habet في اطراف البجه *in extremis Begiæ*, inquit Abulfeda, ad mare Erythræum, nomine القصير *Coſeir:* quò per deſertum quarto pervenitur die.

Ibid. اخم *Ichmim.*] Hæc quoque urbs, Abulfedâ teſte, Thebaïdos magna eſt, in principio mediæ partis: & quidem orientali etiam Nili ripa; ubi multa quoque ſuperſunt antiquitatis monumenta. Citatus autor, Ibn Iounis, aliique tribuunt ei latitudinem 26 grad. & 50 minut. Quamobrem perſuadeo mihi denuò, eſſe Veterum Chemmim, de qua Herodotus Euterpe: ἐστὶ δὲ Χέμμις πόλις μεγάλη νομοῦ τοῦ Θηβαϊκοῦ, ἐγγὺς Νέης πόλιος. Pro hâc in Ptolemæo eſt Καινὴ πόλις, quam ad latitudin. 26 grad. 20 min. refert. Eſt autem Chemmis nomen regis antiquiſſimi: quem Memphiticæ pyramidis maximæ conditorem celebrat Diodorus Siculus libr. 1. Ab eo cognominem quoque hanc urbem eſſe exſtructam, aut ejus ſaltem nomine inſignitam veriſimile: niſi fortè placeat Leonis Africani ſententia, qui Ichmîm facit filium Miſraïm, & conditorem hujus urbis. Cum opinione iſtâ concordat Gloſſarium Ægypti-arabicum, cujus ex Ægypto tranſmiſſi copiam illuſtris vir Samuel Peireſcius, eximius Literarum cultor fautorque, at magno dolore & detrimento nuper ereptus, clariſſimo Salmaſio, & hic mihi humaniſſimè impertivit. Nam in eo, urbium nempe ſyllabo, πανὸς, Ægyptiæ urbis nomen, exponitur per اخم; quod tunc obtinebat inter Ægyptios Arabicè loquentes. Per πανὸς autem πανόπολιν intelligi quis dubitare poſſit? At hanc eandem eſſe cum Chemmi, de qua antè dixi, Diodorus Sieulus libro jam allegato docet:

docet : cùm inquit ; πᾶνα, quem expeditionis ſocium Oſiris delegiſſet, ἀφερόντως ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων τιμώμενον. τούτῳ δὲ οὐ μόνον ἐγχωρίους ἀγάλματα πεποιηκέναι καὶ πᾶν ἱερὸν, ἀλλὰ καὶ πόλιν ἐπώνυμον καὶ τῇ Θηβαΐδα, καλοῦσι δὲ αὐτὴν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων χέμμιν ἢ χέμμω, μεθερμηνευομένην δὲ πανὸς πόλιν. id eſt, *Panа ſingulari honore ab Ægyptiis cultum. Incolas enim non modo illi ſimulachra in quovis favo : ſed etiam nomine ejus urbem in Thebaïde extruxiſſe ; quam quidem illi Chemmin, ſeu Chemmo vocant ; Panopolin verò interpretantur.*

Ibid. اسناي *Aſna.*] Aliis ſcribitur ſine ي: Eſt autem oppidum, ad partem Nili occidentalem, inter Syenem & Cuſam media ; huic tamen propior, milliaribus quaſi 26 diſtans : uti ex Geographo Nubienſi colligi poteſt. qui quidē autor magnam illi adſcribit antiquitatem. Laudatur Aſna inprimis ob palmeta, vineas & arva; tum etiam balnea & mercatus. اسنا autem in Gloſſario, cujus jam memini, redditur per nomen Ægyptium λάτῳ : quæ λατόπολις, ſeu πόλις λάτων eſt Ptolemæo: à Lato piſce, Ægyptiis illis culto; ut autor eſt Strabo lib. xvii, denominata. Dixerunt autem Arabicè اسنا quaſi *Micantem* & *Illuſtrem*, declinare volentes, ut exiſtimo, idololatricum nomen : quod & in præcedente aliiſque videntur obſervaſſe. Eam ſententiam quoque confirmat, quòd Ptolemæus Latorum urbem, & Ibn Iounis Ægyptius Aſnam eâdem deſcribunt latitudine: quòdque Geographus Nubienſis & alii urbem ارمنت, quæ non alia quàm *Hermonthis*, unius diei itinere disjungunt ab Aſna; quod intervallum Ptolemæus & alii ponunt inter Latopolin & Hermonthin.

Ibid. انصنا *Anſina.*] Oppidum, inquit Abulfeda,

Saïdæ

Saïdæ seu Thebaïdos mediæ, in occidentali itẽ ripa Nili: ubi etiam multa supersunt antiquitatis vestigia. Latitudini ejus tribuit & ipse & Ibn Iounis & alii gradus 27½: quot Antinoopoli Ptolemæus. Accedente itaque nominis convenientiâ, & Glossarii suprà dicti fide, statuo Ansina esse Antinoï urbem: ita dictam ab amasio Hadriani. & eandem puto cum Anthio Leonis Africani, libr. VIII. quàm à Romanis conditam scribit.

Ibid. اسوان *Asvân*.] Et, prout Ibn Chalican Historicus proferendum censet, Vsvan. Ad orientalem Nili ripam extat; urbs antiqua, solo palmarũ ferace, & mercaturâ florens: ut quæ Thebaïdos supremæ limes Ægyptum cum Æthiopia conjungit. Nam solæ intercedunt cataractæ, quas الجنادل *Scopulos* vocant, à vicino mõte Teilamone prognatos & transversum secantes flumen. Hoc autem ad eos aquis accumulatis vectum non fluere pergit: sed magno impetu deorsum ruit. Glossarium Ægyptiacum اسوان per σȣὰν reddit; quæ non alia, quàm Syene. Et quod Strabo ait; νȣ̃βαι οἱ ὑπὲρ συήνης Αἰθίοπες: idem Iacutus aliique Arabes; اسوان قرب من النوبة: quin Geogr. Nubiensis; هي من ثغور النوبة. Contra Syenem, intercedente dimidii stadii intervallo, positam esse Elephantinam, & utramque Ægypti & Thebaïdos esse terminum, docet Strabo libr. XVII: & addit, μικρὸν δ' ὑπὲρ τῆς ἐλεφαντίνης ἐστὶν ὁ μικρὸς καταράκτης. De Asvan autem scribit Abulfeda: اسوان من بر المشرق وهي اخر الصعيد الاعلا بالقرب من الجنادل *Asvan ex continente Orientali est Nili, & Thebaïdos superioris extremum; prope à Catarractis.* Intelligit verò minores: uti etiam Geographus Nubiensis part. 4. clim. 2. ad finem. Aliæ enim sunt,

sunt, majores nempe, quas idem Nubiensis describit parte item quarta climat. 1. Vnde ad Asvan haud navigari Nilum ipse testis est: sed merces terrâ deferri camelis, 12 quasi stationum itinere. quod fere intervallum est, quo Ptolemæus catarractas, minorē & majorem, disjungit. Atque hæc argumenta præter ea, quæ nobis Asna præbuit, effecerunt, quo minus assentiri possim Leoni Africano, accuratissimo aliàs autori: qui non Asvân, sed Asnam cum Syene eandem facit. præsertim cùm sententiam suam nullo indicio probet. Nisi fortè, quod Asnam subesse Tropico asserit: sed non aliunde, quàm ex eo ipso, quod putavit Syenem esse. Quem huic situm Latini & Græci tribuerunt eo quidem argumento, quòd ibi meridiano solstitii tempore umbra observaretur nulla. Fateor quidem Arabes pleroſque omnes constituere Asvân uno quasi gradu australiorem: nempe latitudine præditam grad. 22½. At licet hoc statuamus esse verissimum, de quo dubitari potest; vix tamen perceptibilis sensu fuerit temporis illis umbra: siquidem ea, extremo lumine, quod à supremo Solis disco fluit, terminata, septuagesimam quintam duntaxat gnomonis partem reddit. quam non observari facilè contigerit. vel si accuratiore visus judicio experimentum captum; non ipso quidem solstitii die; sed paulò pòst, vel antè umbra reverà nulla fuerit.

Lin. 15. افريقية *Africæ.*] Arabes per nomen Africæ non intelligunt nisi propriam; & quidem eam, quæ est inter desertum برقة *Barcæ* (quod constat Cyrenaïcæ, Marmaricæ, Lybiæque exterioris boreali tractu; ubi & Barcæi seu Barcitæ Veterum,) & urbem بونة *Bona*, quæ Hippon est, B. Augustino inclyta. Nomen autem Africę

deducunt ab افريقس بن قيس بن صيفي بن سبا الاصغر qui victus ab Assyriorum rege & cum suis profugus eas sedes occupâsse dicitur. De quo & Leo Africanus in Operis initio.

Lin. 17. شمال بلاد الصين *Borealem Sinarum tractum.*] In quo nempe nobiliores urbes; Xantum, Nancian, Satrub, Sinceu, &c. Et hoc quidē climate videtur Alfraganus complecti ipsos regni Sinensis limites. Nam in climatibus reliquis nullam ejus mentionem facit. Et licet Sinarum terminus vulgò statuatur vastus ille murus, qui montium valles & vias Tataris præcludit, hoc est, in 42 graduum latitudine; Arabibus tamen, Persis, aliisq; Orientalibus superior illa pars, non Sin; sed Chatai & Thebet, uti climate sequenti fit, nuncupari solet. Præsertim iis, qui post Muhammedis tempora Orientis res literis mandârunt: quando الخطا Scythæ extra Imanum, χάτιοι Ptolemæo dicti, irruptione factâ regni partem occupârunt, imperiique sedem fixerunt Pechini; quam eandem esse cum Cambalu Pauli Veneti, demonstrat Nic. Trigautius in libro de Christiana expeditione apud Sinas. Arabes, Persæ, Turcæ, aliique خان بالق *Chanbalic* scribunt. De ea Abulfeda عند اقاصي الشرق من هي بلاد الخطا وعرضها له كه وطولها قنو *Ipsa ex remotioribus Orientis locis in regione Chataorum: latitudine prædita* 35 *grad.* 25. *min. longit.* 156. Vbi etiam collocatur ab Europæis Pequin seu Pechinum. Et Ibn Saîd Geographus; ويذكر من عظم هذه المدينة ما يستعلو العقل وهي قاعدة مشهورة على السنة التجار واهلها جنس من الخطا ولهذه العظم جعلت مدينة طمغاج وبلاد الطمغاج هي بلاد الخطا ويزعمون

ويزعمون المسافرون ان السور دايرٍ على عمايرهم مسيرة ثلثة وعشرين يوم من الغرب الى الشرق، *Narrantur de urbis hujus*, nempe Chambalic, *magnitudine, quæ superant mentis captum: est autem ipsa Metropolis, celebrata sermonibus mercatorum: incolæque ejus genus Chataorum. Ac propter amplitudinem hanc constituta est civitas Tamgâgji:* (ita dicitur Chataorum imperator) *cujus regio est terra Chatai. Existimant autem viatores murum, qui habitationes eorum cingit, protendi 23 dierum itinere ab Occidente in Orientem.* Postquam verò Tartari à majoribus ejus regis, qui nunc Sinensibus imperat, extra murum repulsi sunt; appellationes illæ inter Orientales fuerunt servatæ: ut hic regni Sinensis tractus, de quo antè dixi, dicatur regio Chatai, ejusque regia Chanbalic.

Lin. 18. على بلاد الهند *Per Indiam.*] seu *Indiæ Borealia & extrema:* ubi regio & urbs inclyta لاهور *Lahor*, sub latitud. 31½ grad. prope fluvium راوي *Ravi*, qui decurrit in Indum. & رهتاس *Rohtâs*, sub latitud. 33. Cui addere licet فرحاله *Ferhâlam:* quæ, ut Ibn Marûph scribit, regni پوتوال *Potuâl* sedes, adjacens occidentali ripæ fluvii بهت *Bahat*, influentis in Indum: 50 minutis borealior, quàm urbs præcedens.

Ibid. القندهار *Candahâr.*] vel, juxta Iacutum Hamatæum alioſque, Condohâr. urbs toto orbe celeberrima, cognominis provinciæ Metropolis: quam Nasiro-ddîn Thusius, Olugbegus & Persa anonymus (quibus ut propinquorum tractuum incolis præ cæteris hîc habenda fides) ab Alexandria Ægypti ad Ortum removent grad. 45, minut. 46: & pari consensu ab Æquatore ad boream grad. 33. Alii ad Indiam, alii ad Sindiam, alii denique ad

Persiam pertinere volunt: unde apparet earundē trium velut terminum existere. Persarum rex Abbâs, ante paucos annos defunctus, sibi visus est eam jure suo extorsisse regi Indorum; sicut Bagdadum regi Turcarum: ut qui antiqui imperii limites sibi vindicaret Indum & Tigrim. Paganis autem Indis urbem primus eripuit Abâd fil. Ziâdi, fratris Muaviæ, expeditionis Muhammedicæ in tractus illos susceptæ dux, circa 60 annum Higsræ. Vrbs antiqua est & ampla; ad ortum muro, ad occasum asperiore monte munita: & in medio scopulus est, cui imposita arx. Montosa est regio ferè universa, excurrente huc usque montis فرو, id est, *Parvetorum* Ptolemæi, propagine. Suburbia excedunt urbem: siquidem hîc non tantùm communis est ex Persia in Indiam, & è contrà commeantium transitus propter commeatus copiam; qui succedentibus Persiam versus desertis ac sterilibus locis defit: sed etiam ingens mercatorum confluxus ac consessus propter gentis utriusque & vicinarum commercia.

Ibid. بلاد السند شمال *Borealia Sindiæ.*] Vbi clima hoc comprehendit urbem, nomine præcedenti affinem, قندبيل *Candabîl*, aut قندويل *Candavîl*: urbem præsidiariam regionis ددهه *Nedhæ*: & قردار *Kozdâr* præsidiariam regionis طوران *Thurân*, ab occasu Indi utramque; illam sub latitudine 28 grad. octo stationibus à Mansora; hanc sub latitudine 30. grad. 35. minut. Vtriusque incolæ بداوي *Campestres*: illi re camelariâ vitam exercentes; hi verò colendis hortis & agris. Ad borealia Sindiæ, ejusque extrema etiam refertur مولتان *Moltân*, circa fluviorum Bahat & Indi confluentem, sub latitud. 29 grad. 36 minut.

36 minut. & 1⅓ grad. orientalior, quàm Candahar. Quare hæc quoque revera Sindiæ fuerit.

Lin. 19. بلاد كابول *regio Cabul.*] Orientales unâ voce كابولستان *Cabulistân* dicunt. Eamque Abulfeda & alii ad regnum زابلستان والغور *Zabelistân & Gôr* referunt: quę respondent Veterum Parapaniso; in cujus ferè extremo affinia nomina, Zuastena & Goryea, extant apud Ptolemæum. Regio Cabul montosa & fertilis: cujus Metropolim cognominem Ibn Maruph & Canon Geographicus subjiciunt latitudini 33½ grad. longitudini verò duorum ferè graduum ultra Candahar in ortum. Vrbs Cabul ampla est, & duplici arce munita; pluribusq; ornata palatiis. Nam hîc olim erat Indiæ regum sedes: adeò quidem, ut Indi, teste Ibn Haukel, neminem شاه *Xah*, quod *magnum regem* sonat, nomine dignarentur, nisi hâc potiretur urbe: quò cõtra vicinos Tataros ac Parthos, quibus hanc Indiæ partem eripuerant, faciliùs regnum tuerentur. Eam quidem Indiæ primam, & Choraſmiæ (quæ & Zabalistân comprehendit) ultimam statuunt Geographi plerique. Expugnârunt Muhammedani tempore Mervánis, anno Higsræ 65. Prope urbem fluvius labitur, qui in Boreali tractu, لغمان *Logmân* dicto, exorsus descendit ad occidentalem urbis partem: quare & كابلكى Ibn Marufo dicitur: & indè per australem inflexus ad ortum tendit, donec conjungatur Indo. Magnus hîc undique mercatorum confluxus, tum ob propria ejus loci commercia; tum ob commeatus copiam, quodque transeuntes hic explicare solent merces, & de novo in sarcinas componere. Ita dicitur in Cabul esse دربند *Derbend*, voce Persicâ, quæ quidem propriè *Portam vin-*

culi, vel *strictam* sonans idem notat, quod Græcis πύλαι, *angustum per montes transitum*: tum etiam locum, qualem dixi, ubi sarcinæ de novo religantur. Porrò Myrobalani, aliaq; aromata ab hac Cabul denominantur; non quòd hîc proveniunt; sed quòd ex India huc primùm comportari solent.

Ibid. كرمان *Carmania.*] Regio Persidi & mari Persico contermina; Græcis Latinisq; hoc ipso nomine descripta. Hîc verò oppidum intelligitur, quæ ejus qnondam Metropolis fuit: ut apud Ptol. videre licet. Anonymus Persa longitud. illi præfigit à littore Africæ grad. 91½ & latitud. 30. quod plenè convenit cum Ptolemæo. Est quoque alia, teste Iacuto, civitas Carmaniæ seu Carman nomine, quę tridui itinere dissita à Gazna Indiam versus; uno gradu australior & quoque orientalior quàm præcedens Cabul: ad cujus ipsa ditionem pertinet. Est autem Gazna urbs Zablistanæ præsidiaria.

Ibid. الاسكندرية *Alexandria.*] Hæc est de XVIII Alexandriis, quas enumerat Stephanus, quinta decima, ὡσαύτως πόλις Ἀραχωσίας, ut inquit, ὁμωνύμου τῇ ἰνδικῇ; à Ptolemæo descripta in Arachosia. Abulfeda قصبة قندهار *præsidiariam urbem ditionis Candahar*, de qua modò dictum, vocat وبهند *Vaihend:* & inter cætera verbis Saîd Geographi inquit, وهي احد الاسكندريات التي بناها الاسكندر على النهر المنسوب اليها *estque ipsa una de Alexandriis, quas condidit Alexander, ad flumen; quod ab ipsa*, nempe Vaihend, *denominatur*, & in Canone Geographico insignitur Sindi nomine, quia huic sese immiscet.

Ibid. سجستان *Segistân.*] seu potius *Sigistân.* Regio ad austrum هراة *Haræ*; quæ Aria Ptolemæi, sive quæ hanc includit,

includit, Choraſanæ; Carmaniæ, Mecranæ, & Sindiæ confinis. Magnam partem planicie conſtat & arenis; quæ ventis mobiles & æſtu ardentes vitam ibi incommodiorem reddunt. Et quæ Curtius libr. VII, refert, ubi de Alexandri agit expeditione per Suſitanorum deſerta: nempe quod æſtivi Solis vapor arenas accendit, quodq; immodico terræ fervore excitatâ caligine, camporum non alia quàm vaſti ac profundi æquoris ſpecies eſt, quam peculiari nomine Arabes السراب vocant; idem de Sigiſtanæ deſertis tradunt Geographi Orientales. Quapropter Suſitanorum regionem non aliam, quàm Sigiſtanam puto; nam ج Orientalium, cum ſibilum habeat, ſæpe per ſ effertur: neq; vocem illam apud Curtium corruptam eſſe, quod ſuſpicatur Ortelius. Vrbs regionis primaria, & commodiore locô ſita, fructibus alioque commeatu abundans, زرنج *Zernegjia* dicitur: & regionis totius nomine ſæpe celebratur, Abulfeda teſte. Occupata à Muhammedanis fuit tempore Omaris, ſecundi Chalifæ. Vnâ hinc paraſangâ abeſt fluvius سناروذ *Senaroud:* qui ramus eſt fluvii هندمند *Hindmend*, i. e. *Ariæ* Ptolemæi. Regio hæc magnâ copiâ Silphium profert, de quo Dioſc. lib. 3. c. 94. الجدان illis dicitur, ejuſq; liquor حلتيت, qui *aſſa fœtida*. Hâc autem Suſitani, item Perſæ & Indi, qui duo هنگ vulgò appellant, inter ciborum condimenta familiariter utuntur. Et quidem exiguâ quantitate permixtus gratiam addit; quomodo odoratui demum grata ſunt muſcus & zibetum: & ſi fortè primùm alienus videtur ſapor, pòſt tamen & uſu placet.

PAG. XXXVII. المحمدية *Muhammedia.*] Hoc nomine haud pauciora extant loca, quàm Alexandriæ. Clariora fuere

fuere in Babylonia, Media, Africa, Hiſpania Bætica: & quoque in Carmania, teſte Iacuto; qui eam ſubjicit latitud. 31. grad. 45. minut. ac longitud. grad. 90. literarumque ac philoſophiæ ſtudiis florentem prædicat. Antè dicebatur دارمي الصغر, nomine cujuſdam ſectæ, de numero الخوارج *Schiſmaticorum*: at Chalîfa Mutevackel, Abbaſidarum decimus, qui anno 23 Higſræ imperium accepit, Muhammediam vocavit, patris ſui Muhammedis Mutaſemi nomine.

Ibid. جيرفت *Gireft.*] vel etiam *Giruft.* Et hoc Carmaniæ oppidum eſt, ex ampliorum & amæniorum numero unum. Aquæ ſalubris, fructuum ac frugum copiâ gaudens: magnoq; mercatorum concurſu florens & celebre. Olugbegus latitudinem ejus definit gradibus 27½, ſtatione unâ ab هرموز, quæ eſt *Harmuza* Ptolem. in maris Perſici littore; eſtque ab Harmuz inſulâ diverſa; quæ latitudinem habet tantùm 26 grad. 45 minut.

Ibid. السيرجان *Sirgjân.*] &, ut Perſæ ſcribunt efferuntque, سيرگان; de qua literarum commutatione ſuprà monui pag. 42. Eſt autem Sirgjân urbs, teſte Nubienſi, totius Carmaniæ maxima; terminis Perſidis proxima. ob aëris & aquæ bonitatem; nec non annonæ copiam commendata. Ab Olugbego, Geographo Perſa anonymo, aliiſque locatur ſub latitud. 29½ grad. duabus ſtationibus à Gireft.

Ibid. بحر البصرة *Maris Baſrenſis.*] Nam ſinus Perſicus, inprimis juxta Orientale littus, diſtinguitur in partes duas: nempe mare Harmuſium; quod ab anguſtiis, Arabiam inter & Carmaniam interjectis, extenditur, paulò ſupra Inſulam cognominem, Ormuz vulgò dictam: &

mare

mare Basrense: quod Carmaniæ littus reliquum & Persidem alluit, & usq; emporium Basram, sive castellum ejus Abbadân protenditur.

Lin. 2. اصطخر *Istachra.*] Hæc, inquit Abulfeda, من اقدم مدن فارس وبها كان سرير الملك في القديم وبها اثار عظيمة من الابنية حتي يقال انها من عمل الجن، *Est ex antiquissimis Persidis urbibus: fuitque in ea olim imperii sedes, ac supersunt ibidem rudera eximia structurarum: adeò ut feratur vulgò Dæmonum esse opus*: ut quò multa homines referre solent, quæ captũ excedunt. Locus autem in vicini collis vertice, شهلنار *Xilmenâr* dictus: quod ibi *quadraginta columnæ*, velut *turres*, extârẽt; (nam چهل Persis est *quadraginta*, & منار Arab. *turris*) quarum nunc vix supereſt pars altera. Vno quasi miliari hinc Africum versus abest fluvius قروان, Persis nunc Bendamir vocatus: qui Araxis est Q. Curtii, aliorumque veterum: eâ parte ponte stratus, quo aditur Choromithrena & Parthia sive Choroſana, à qua & pons nomẽ habet. Vnde satis liquet Istachram hanc non aliam esse quàm Persepolin: & monumenta ibi reliqua, quæ epistolâ Garziæ de Sylva Figuroæ, regis Hispaniarum in Persia tunc legati, eleganter descripta sunt, ipsius Basilicæ esse reliquias; non minùs excidii turpitudine clarę, utpote ab Alexandro combustæ in gratiam scorti, quàm incomparabili arte & superbiâ. Vrbs Istachra ante sæcula quędam incolis floruit: nunc pagi vix faciem habet; ut quæ vicinæ urbis Xirâz incremento in dies decrevit. A plerisque locatur sub 30 latitud. grad. Hoc autem ejus nomen pro antiquissimo habent Persæ, nempe filii Kajomarti, quod urbi

impositum fuisse volunt. Persepolis enim Græcorum est, nec fortè ante Alexandri tempora ibi cognitum.

Ibid. جور *Giaur.*] Vel, ut Geographi pleriq; , *Giour.* Inter primarias Persidis urbes recensetur ab Abulfeda: ob campos suos, vineas, & hortos passim decantata apud scriptores: cumq; totum regnum insigni rosarũ proventu gaudeat, Giorensium genus præfertur omnibus reliquis. Vrbs ab Istachra declinat uno quasi gradu: condita, prout tradita Persarum habent, ab Ardexir, fil. Babec, filii Sasan: qui in ea اتشكاه *πυρεῖον*, id est, *æterni ignis focum* extruxit; multa sæcula pòst cum suo cultu servatum. A rege illo & tota provincia, quæ ad mare vergit, كورة اردشير, teste Abulfedâ, dicta fuit. Iacutus Hamatęus ait nomen urbis ita Arabibus scribi pro Persarum گور, quod hisce *sepulchrum* notat. Ideoque cum Adoduddaulas, ex Bojaïtarum familia unus, qui circa annum Christi 940 urbem dominis eripuerant, loci amœnitate captus huc relaxandi animi gratiâ frequens concederet; atque indè in populo dictum vulgaretur, ذهب الملك الى الكور *abiit Rex in Gour* urbem, per quod etiam intelligi poterat *sepulchrum*; ut omen cum nomine videretur sibi declinare, فيروزباد, quasi *prosperam* seu *augustam sedem* vocari jussit.

Ibid. فسا *Phesa.*] Persis ipsis بسا *Besa* dicitur. quod nomen aliâs hisce *Boream* notat; ventum ibidem gratissimum. Et hæc urbs Persidis antiqua; olim amplitudine vix alii cedens: aëris salubritate, fructuum copiâ, & amœnitate cõmendatur. maxima est regionis دارابجرد (داراب *Darius* est, & جرد pro Persico گرد, idem quod Arab.